petendi. Quoniam facti Preſbyteri divitum villicos, domus præfectos, & diſpenſatores agent, ac matronis inſervient.

VII. Quæſt. V. *Quas pœnas incurrant conferentes, & obtinentes ſimoniace beneficia?* Reſp. Conferens, aut procurans ſimoniace alteri beneficium, vel officium eccleſiaſticum, per electionem, poſtulationem, confirmationem, nominationem, ſive publice, ſive ſecreto, ipſo facto excommunicationi ſubiacet Pontifici ſummo reſervatæ: cui pœnæ obnoxius quoque eſt recipiens beneficium, & omnes parentes, amici, interceſſores, qui procurant ut beneficium per ſimoniam conferatur, quemadmodum habetur in extrav. *Cum deteſtabile* de ſimonia. Inſuper irritantur omnes proviſiones, & collationes eiuſmodi factæ. Quare ſimoniaci conſequentes beneficium non faciunt fructus ſuos, ſed ante iudicis ſententiam reſtituere eos debent, & beneficium receptum dimittere, etiamſi ſimonia inſcio Beneficiario commiſſa a parentibus, aliiſve amicis fuerit; ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. c. art. 6. ad 3. *Si vero eo neſciente, nec volente, per alios alicuius promotio ſimoniace procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur reſignare beneficium quod eſt conſecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bona fide poſſedit: niſi forte inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel niſi ipſe expreſſe contradixerit; tunc enim non tenetur ad renunciandum, niſi forte poſtmodum pacto conſenſerit, ſolvendo quod fuit promiſſum.* Contendunt tamen plures, eum qui inſcienter beneficium ſimoniace recepit, & triennali poſſeſſione bona fide illud tenuit, non poſſe eodem privari: quam triennalem poſſeſſionem non ſuffragari ei qui mala fide poſſedit, docent omnes.

VIII. Quæſt. VI. *An ſimonia in beneficiorum collatione privet beneficiis antea rite obtentis?* Reſp. Negant communiter Auctores, ante iudicis ſententiam ſimoniacum privari beneficiis quæ iure poſſidebat ante beneficium per ſimoniam acquiſitum: quia in nulla lege, inquiunt, id expreſſum habetur. Poteſt tamen iudex etiam illa adimere ſimoniaco pro criminis gravitate. Excipitur tamen ſimonia fiduciaria, quæ vi conſtitutionis S. Pii V. non modo beneficii, tali ſimonia comparati, verum etiam omnium antecedentium privationem inducit: quemadmodum ſimonia perpetrata cum examinatoribus, quæ ex Tridentino, ut vidimus ſupra, privat omnibus beneficiis antea rite obtentis, nedum beneficio ſimoniace comparato. Tandem qui beneficia per ſimoniam aſſequuntur, inhabiles remanent ipſo facto ad alia beneficia obtinenda ante iudicis ſententiam; ut S. Pius V. expreſſe declaravit in ſua conſtitutione, cuius initium eſt, *Cum primum*, in qua hæc habentur. *Qui dignitates eccleſiaſticas ſimoniace acquiſiverit, illis ſit ipſo iure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit, perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia obtinenda.* Reponunt Salmanticenſes *num.* 21. conſtitutionem S. Pii V. non eſſe *uſu receptam*. Non negant acceptationem, ſed uſum executionis. Porro ſi legis inobſervantia legem abrogaret, actum de omnibus legibus eſſet. Quare opinio Salmanticenſium, Sanchez, Leſſii, Caſtropalai, & aliorum, quos citant Salmanticenſes, falſa eſt.

IX. Quæſt. VII. *An acquiſita per ſimoniam reſtitui debeant?* Reſp. Ex iis quæ dicta ſunt, omnia beneficia ſimoniace obtenta, & eorumdem fructus reſtituendos eſſe conſtat. Salmanticenſes *tract.* XIX. *cap.* IV. *punct.* 3. *n.* 22. „ Emens beneficium non „ facit iniuſtitiam, ſed patitur: debebat e„ nim gratis accipere quod dato pretio ac„ cipit: & tantum peccat contra religio„ nem, cuius tranſgreſſio non obligat ad „ reſtituendum. Nec etiam beneficium con„ ferens peccat contra iuſtitiam, aut ei iu„ re divino invalidam facit collationem. „ Hæc doctrina damnata eſt ab Alexandro VII. in prop. 22. *Non eſt contra iuſtitiam beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis* &c. Eccur non peccat contra iuſtitiam emptor? Quia gratis accipere beneficium debebat. Ita ne vero? Næ egregia ratio? Qui animo paratus eſt ad emendum beneficium, indigniſſimus eſt. Ergo nec gratis, nec accepto pretio obtinere illud iure valet. Cur non peccat contra iuſtitiam collator? Quia Dominus eſt, dumtaxat invitus quantum ad modum. Futilis eſt argutatio iſthæc quæ ſe ipſa corruit. Chriſtus Dominus abſolute præcipit gratuitam, & vetat venalem collationem. Iure itaque & divino, & eccleſiaſtico beneficiarius tenetur dimittere beneficium, fructuſque; & collator pecuniam reſtituere. Opinionem quam Salmanticenſes defendunt, adoptarunt ex Sanchez, Villalobolio, Laymano, Lopez, aliique, quos citant. Sed non conſiderarunt,





Auctores iſtos ante Alexandrum VII. ſcripſiſſe. Et hoc abſurdum frequentiſſime occurrit in Caſuiſtis modernis, qui non raro illos ipſos anteriores Caſuiſtas citant qui damnatas theſes docuerunt.

X. Ex hac proſcripta doctrina alia laxa conſectaria inferunt ibidem Salmanticenſes *num.* 26. *& ſeq.* Siquidem *num.* 26. evidentius repetunt doctrinam ab Alexandro VII. proſcriptam, aientes: *Simoniaca autem acceptio non eſt contra iuſtitiam, ſed contra religionem.* Unde inferunt in ſola ſimonia reali, commiſſa in receptione Ordinis, beneficii, & Religionis, reſtitutionem faciendam eſſe ante iudicis ſententiam ex ſolo iure eccleſiaſtico; in aliarum vero rerum ſpiritualium venditione pretium acceptum non eſſe reſtituendum: quia, inquiunt, nec lex divina, nec eccleſiaſtica præcipit ut reſtituatur pretium ob ſimoniam acceptum, præterquam in tribus enarratis caſibus. Quæ conſectaria falſa ſunt, non ſecus ac principium unde derivantur. Hæc omnia profligat 2. 2. *quæſt.* XXXVII. *art.* 7. S. Thomas. *Alio modo eſt aliquid illicite acquiſitum, quia ille quidem qui acquiſivit, retinere non poteſt: nec tamen debetur ei a quo acquiſivit, quia ſcilicet contra iuſtitiam accepit, & alter contra iuſtitiam dedit: ſicut contingit in ſimonia, in qua dans, & accipiens CONTRA IUSTITIAM LEGIS DIVINÆ agit. Unde non debet reſtitutio fieri ei qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari.*

XI. S. Thomas recentiorum Caſuiſtarum opiniones ante Alexandrum VII. improbavit. Ex hac angelica doctrina colligitur, pecuniam ſimoniace acceptam ob venditionem rerum ſpiritualium quæ non continentur in tribus enarratis caſibus, diſtribuendam eſſe inter pauperes.

XII. Franciſcus Sylvius cum aliis contendit, pecuniam reſtituendam eſſe tradenti illam, quando res ſpiritualis nondum eſt reipſa conſignata: quod colligere credit ex cap. *Dilectus* extr. de ſimonia. Sed fallitur: ibi enim præcipitur reſtituendam eſſe pecuniam ei qui dedit, quia ignoranter, & inculpate dedit.

XIII. Pecuniam vero acceptam in ſimoniaca collatione beneficii eccleſiaſtici reſtituendam eſſe Eccleſiæ, S. Thomas 2. 2. *q.* c. *art.* 6. *ad* 4. docet. *Dicendum, quod pecunia, vel poſſeſſio, vel fructus ſimoniace accepta debent reſtitui Eccleſiæ, in cuius iniuriam data fuerunt, non obſtante quod Prælatus, vel aliquis de collegio illius Eccleſiæ fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen quod, quantum fieri poteſt, ipſi qui peccaverunt, inde commodum non conſequantur. Si vero Prælatus, & totum collegium ſunt in culpa, tunc debet cum auctoritate Superioris vel pauperibus, vel alteri Eccleſiæ erogari.*

XIV. Quod obtrudi ſolet, datorem pretii non amittere dominium illius, atque adeo eidem reſtituendum eſſe, nullius momenti eſt: quia in pœnam turpis flagitii ſimoniacus emptor tali pretio meretur privari. Cap. *Veniens* extr. de ſimonia ſtatutum fuit, pecuniam datam pro ingreſſu Religionis reſtituendam eſſe Monacho: quia inculpate, & bona fide dederat prætextu conſuetudinis quam ſectabant acceptatores.

# DISSERTATIO IV.

## *DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.*

### CAPUT I.

*Notio beneficii eccleſiaſtici. Varia beneficiorum genera, & eorum origo.*

I. IN hac diſſertatione ea tantum de beneficiis explicabo quæ ad conſcientiarum regimen attinent, miſſis omnibus iis quæ forum, & eruditionem ſpectant.

Communis beneficii eccleſiaſtici definitio hæc eſt: *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter aliquod officium ſpirituale, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Dicitur *ius*, quia Beneficiario ex iuſtitia debentur proventus, tamquam laboris merces. Additur *perpetuum*, quia morte Beneficiarii non extinguitur, ſed vacat beneficium, ad differentiam penſionis, quæ obitu penſionarii deficit. Aliæ

particulæ, *percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ*, ſignificant, quod bona, unde tales fructus percipiuntur, debeant eſſe Eccleſiæ; quia initio fideles bona ſua Eccleſiæ tradebant in ſuſtentationem miniſtrorum. Additur *propter aliquod officium ſpirituale*, nempe adminiſtrandi ſacramenta, celebrandi ſacrum, canendi in choro, concionandi &c. Tandem ultima particula *auctoritate* &c. declarat, beneficium debere eſſe auctoritate Epiſcopi, aut ſummi Pontificis inſtitutum. Hinc has ſex conditiones ad beneficium eccleſiaſticum requirunt Auctores. 1. quod ſit Epiſcopi auctoritate fundatum. 2. quod rei ſpirituali ſit annexum. 3. quod conferri Clerico debeat. 4. quod ſola perſona eccleſiaſtica conferre illud poſſit. 5. debet eſſe perpetuum. 6. collator nequit ſibi illud conferre.

II. Plura ſunt beneficiorum genera. Majora ſunt Papatus, Epiſcopatus, Abbatiæ. Minora ſunt plura alia. Præterea aliud eſt beneficium *regulare*, aliud *ſæculare*. Illud ſolis Religioſis profeſſis, ut Abbatia, Prioratus, & aliquæ Parœciæ; illud ſolis Clericis, monaſticis votis ſolutis, conferri debet. Niſi beneficium probetur eſſe regulare, præſumitur eſſe ſæculare. Si beneficium vacavit obitu ſæcularis, ſæculare; ſi obitu Regularis, regulare cenſendum eſt. *Sæcularis* non eſt aptus ad beneficium regulare; & Regularis non eſt iuxta probabiliorem opinionem capax beneficii ſæcularis curati. Convenit tamen penes Auctores, Regulares iure communi idoneos eſſe, ut eligantur ad dignitatem epiſcopalem.

III. Dividitur præterea beneficium in *duplex*, & *ſimplex*. Illud habet iuriſdictionem in Clerum, populumque, & adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum. Eiuſmodi ſunt Papatus, Cardinalatus, Patriachatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus. Beneficia quoque quæ appellantur Dignitates, ut Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia ſæcularis, Plebanatus, & omnia beneficia curata, ſeu quibus animarum regimen annexum eſt, iuriſdictionem habent. Illud nullam habet iuriſdictionem, adminiſtrationem, vel præeminentiam; ſed ſolum annexum eidem debitum eſt fundendi preces, inſerviendi altari, & alia miniſteria eccleſiaſtica exercendi: ut ſunt Canonicatus, Capellaniæ &c. Præſtimonia, quæ ſunt beneficia inſtituta ex proventibus Eccleſiæ, conferenda iuvenibus ſtudiorum cauſſa, coniunctum habent onus ſolvendi definitas preces.

IV. Inſuper beneficium aliud eſt *electivum*, aliud *collativum*, aliud *mixtum*. *Electivum* eſt quod a pluribus confertur per electionem a Superiore confirmandam. *Collativum* libera & abſoluta Superioris voluntate confertur. *Mixtum* eſt quod patrono deſignante Epiſcopus inſtituit, & confert.

V. Beneficia, in lata ſignificatione accepta, omni tempore fuerunt in Eccleſia, quæ ſemper habuit Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, qui populum fidelem gubernarunt. Modus tantum beneficiorum diverſus fuit. Nam primis Eccleſiæ ſæculis nullum erat ius aliquod perpetuum fruendi aliqua Eccleſiæ bonorum parte; ſed omnia Eccleſiæ bona communia erant, ut *Act.* iv. habetur: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Hæc communitas inter laicos parum, inter Clericos per plura ſæcula ſub Epiſcoporum regimine perſeveravit: ut alibi fuſius explicatum eſt. Si plura cupis, lege Thomaſſinum *de Diſciplina eccleſiaſtica Part. I. Lib. IV. cap.* xv.

VI. Illud Clericorum animis altius hæreat, hanc bonorum Eccleſiæ partitionem, circiter ſæculum v. invectam, non mutaſſe naturam. Semper fuerunt, ſemperque erunt patrimonia pauperum. Quidquid Beneficiarii ſibi, præter congruam ſuſtentationem, aſſumunt, furtum eſt, ac rapina, ut Patres omnes, & Concilia clamant: idque fuſo calamo demonſtravi *Tom. II. in Decal. diſſ.* iv. *cap.* xiii.

VII. Patrimonium, cuius titulo Clerici Ordines ſuſcipiunt, beneficii rationem non habet. Dignitates, & alia officia, licet iuriſdictio annexa eiſdem ſit, proprie & in rigore beneficia non ſunt, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, Guardianatus &c. Quia iure perpetuo percipiendi fructus carent. Et idem dicendum de Vicario generali Epiſcopi. Vicarii tamen perpetui Parochorum, ſecus temporales, ſunt Beneficiarii. Præſtimonia quoque beneficia eccleſiaſtica ab omnibus habentur.

VIII. Capellaniæ, quæ laici auctoritate inſtitutæ ſunt, beneficii ratione carent: quæ vero Epiſcopi auctoritate erectæ, & inſtitutæ ſunt, propriam beneficii rationem habent. Si quis prævia Epiſcopi facultate inſtituat Capellaniam, decernatque ut quoties vacaverit, eligatur Capellanus qui celebret tot Miſſas qualibet hebdomada, non poteſt eligi Capellanus qui non ſit Sacerdos, aut ſaltem infra annum promovendus ad ſacerdotium. Quare tamquam falſam, & laxam reiicio opinionem illorum qui defendunt, eligi poſſe

quem-



quemlibet habentem 14. annos. Quoniam is poteſt per Sacerdotem celebrare Miſſas. *Qui autem per alium facit, per ſeipſum facere cenſetur.* Inepte producitur hoc axioma. Utique ex cauſſa rationabili qui miſſas celebrare nequit, per alium celebrare poteſt. Ceterum quando fundator perſpicue præſcribit ut *Capellanus* eligatur, Sacerdotem eligendum decernit. Numquid iuvenis 14. annorum Capellanus eſt? An iuxta obvium & naturalem ſenſum Capellani eligendi ad Miſſas celebrandas nomine non intelligitur Sacerdos? Viden' ingenium plurium Caſuiſtarum ad laxandam legem deflectentium? Verba teſtatoris ſunt in ſuo naturali ſenſu accipienda, & implenda. Salmanticenſes *punct.* 3. *n.* 29. vane obtrudunt quamdam S. Congregationis deciſionem, ex qua ſolum infertur, poſſe Capellanum in caſu Parmenſi per alios celebrare Miſſas Capellaniæ, de qua lis erat.

IX. Laxior, & penitus falſa eſt altera plurium Caſuiſtarum opinio, quæ negat, eligendum neceſſario eſſe debere Sacerdotem, ſi Capellaniæ fundator dicat verbis affirmantibus, *Præſentetur, eligatur Sacerdos.* Si vero diceret verbis negantibus, *Non eligatur, niſi qui ſit Sacerdos*, hoc in caſu, inquiunt, deberet eligi Sacerdos. Hæc ſunt arbitraria paradoxa, ad eludendas pias teſtatorum mentes invecta. Fundator ordinat ut eligatur Presbyter: & tu eligere laicum, Clericum, Subdiaconum iure vales? Ineptirem ipſe, ſi otio in hac laxa, & cum ſenſu communi pugnante, opinione refellenda abuterer. Quando fundator Capellaniæ decernit ut eligatur Sacerdos, nec ſucceſſor fundatoris, nec Epiſcopus valent, neceſſitate evidenti ſublata, eligere in Capellanum non Sacerdotem. Lege Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *de ref. cap.* xi. Capellanus electus tenetur horas canonicas recitare, & in Eccleſia, & non alibi, in qua erecta Capellania eſt, Miſſas celebrare, excepta aliqua rationabili cauſa.

## CAPUT II.

### *De penſionibus, & coadiutoriis.*

I. PEnſionis notio hæc eſt: *Ius percipiendi fructus aliquos ex alieno beneficio alicui conceſſum, ſive ad tempus.* Alia eſt *laicalis*, ut dictum ſupra eſt, quæ confertur laico ob aliquod beneficium temporale Eccleſiæ collatum; ſicut ſunt illæ quæ conferuntur Regibus Eccleſiam defendentibus. Alia *clericalis*, in titulo ſpirituali fundata, & ad finem ſpiritualem ordinata, quæque Ordinem in accipiente ſupponit; qualis eſt quæ confertur coadiutori Epiſcopi, vel Parochi ſenis, aut infirmi. Aliam penſionem vocant *mixtam*, quæ datur aut Clerico pauperi, aut Parocho ſeni & impotenti in alimentum, non in aliquem finem ſpiritualem. Penſio eccleſiaſtica non eſt proprie beneficium; cum, ut alias dictum eſt, expiret obitu penſionarii.

II. Quæſt. I. *An ſolus Romanus Pontifex imponere penſiones valeat ſupra beneficia?* Reſp. Communis & vera ſententia docet, nullum Prælatum Papa inferiorem poſſe penſiones imponere ſuper beneficiis, ſive reſignationis, ſive permutationis cauſſa. Poſſunt tamen Epiſcopi ob iuſtam cauſam Beneficiariis ipſis penſiones imponere: quia tunc non onerant beneficia, ſed perſonas. Et eiuſmodi penſiones deſinunt obitu penſionarii.

III. Quæſt. II. *Quæ cauſſæ requiruntur, ut imponi licite penſiones valeant?* Reſp. Tres in iure aſſignantur. 1. eſt, ut reſignatores habeant, dimiſſo beneficio, alimenta, unde vivant. 2. eſt æqualitatis ratio in beneficiorum permutatione, ut quando beneficium locupletius cum tenui permutatur. 3. eſt finiendæ litis occaſio.

IV. Quæſt. III. *Quænam ſit imponendæ penſionis ſumma?* Reſp. Penſio moderata ſit oportet, habita ad beneficium cui imponitur, ratione; ita ut ſemper Beneficiario remaneat ea fructuum pars quæ illius congruæ ſuſtentationi ſufficiens ſit. Quare numquam cenſendum eſt, Pontificem velle gravare beneficium contra regulam præfinitam a Trid. *ſeſſ.* xxiv. *de refor. c.* xiii. ubi hæc habentur. *Ad hæc impoſterum maneant cathedrales Eccleſiæ, quarum reditus ſummam ducatorum mille, & parochiales, quæ ſummam ducatorum centum, ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum graventur.* Hinc in penſionum litteris apponi ſolent: *Dummodo maneant centum pro Rectore, & mille pro Epiſcopo.* Quæ clauſula intelligenda eſt, non ſolum reſpectu temporis quo penſio imponitur, ſed etiam habita temporis futuri ratione; ita ut ſi temporis decurſu imminuantur beneficii reditus, ut non remaneant *centum pro Rectore*, nec *mille pro Epiſcopo*, ideſt non remaneant reditus congrui pro honeſta ſuſtentatione, a penſionis ſolutione liberi ſunt penſionarii; quidquid in contrarium aliqui nulla ratione nixi contendant. Iure quippe naturali, & divino debentur Beneficiario alimenta. Et Pontificis ſummi ſunt iuſti diſpenſatores, non abſoluti domini Eccleſiæ bonorum; ut ſapienter S.

 Th.

Th. 2. 2. qu. c. art. 2. ad 7. docet. *Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo . . . . Quamvis enim res Eccleſiæ ſint eius ut principalis diſpenſatoris; non tamen ſunt eius ut domini & poſſeſſoris.* Remanere ergo debent pro Beneficiario, detractis omnibus expenſis pro Eccleſia, pro cultu divino &c. tot reditus, quot honeſtæ eius ſuſtentationi neceſſarii ſunt. Ad validam penſionis impoſitionem communiter loquendo, neceſſarius eſt Beneficiarii conſenſus, niſi conſtet Pontificem agere de plenitudine poteſtatis velle: quod præſumendum non eſt. Leo X. regula Cancellariæ 43. ſtatuit, non eſſe penſionem imponendam abſque Beneficiarii conſenſu.

V. Quæſt. IV. *Quinam ſint clericalis penſionis capaces?* Reſp. Penſionem laicalem poſſe cuilibet laico, etiam feminæ concedi a ſummo Pontifice, ſi publicum Eccleſiæ bonum id poſtulet, Auctores docent. Penſio autem clericalis dumtaxat illis conferri poteſt qui prima ſaltem Tonſura initiati ſint, ut ex conſtitutione xxx. Sixti V. conſtat, qua percipitur, ut penſionarii illi Tonſuram, & habitum clericalem, ideſt veſtem talarem, deferant: alioquin ſint ipſo facto penſionibus deſtituti. Ætas neceſſaria ad penſionem accipiendam eſt annus 14. ut communiter Auctores docent, & ex ſtilo Curiæ patet. Excommunicati, & irregulares nullius penſionis ſunt capaces, ſive præſtimonii, ſive beneficii ſimplicis, ſive clericalis, ut communiter Theologi, & Canoniſtæ defendunt; ſive etiam laicalis, ſive mixtæ, ut probabilius mihi videtur: quidquid in oppoſitum alii afferant. Illegitimi ſunt quoque penſionis incapaces. Si tamen diſpenſationem obtinuerint ad beneficia, probabilius videtur eos habiles eſſe ad penſionem; licet iſtius inhabilitatis in penſionis conceſſione nulla ſit mentio facta. Regulares ſunt ad penſiones inepti, niſi accedat Pontificis ſummi diſpenſatio.

VI. Quæſt. V. *An Beneficiarius teneatur ſub culpa penſionem ſolvere?* Reſp. Adfirmans ſententia communis eſt. Nam in litteris penſionis ſub pœna excommunicationis iubetur ſolutio. Pœnam tamen excommunicationis non incurrit Beneficiarius, niſi coram Iudice declaret, ſe nolle penſionem ſolvere. Diſputatur, num Beneficiarius teneatur ſolvere anteceſſoris tempore penſiones non ſolutas. Alii abſolute negant, quia ſucceſſor in beneficio nullos fructus percepit tempori anteceſſoris correſpondentes: ergo ſi commodum non percepit, nec pati onus debet. Adfirmant alii, quod penſio ſit onus impoſitum beneficio, quod ſemper beneficium afficit, quocumque pervenerit. Alii diſtinguunt. Si penſionarius diligentiam adhibuit, ut penſio ſibi ſolveretur ab anteceſſore, & effectum obtinere non potuit; tum ſucceſſorem ad ſolutionem coſtringi aſſerunt: contra liberum a ſolutione aiunt ſucceſſorem, ſi penſionarius debitam adhibere neglexit induſtriam vel contra anteceſſorem, vel contra eiuſdem heredes. Et ſane ſi anteceſſoris heredes ex bonis defuncti ſolvendo ſint, tum ad nihil teneri ſucceſſorem in beneficio, mihi probabilius eſt: actionem enim directe contra eoſdem habet penſionarius.

VII. Quæſt. VI. *Poteſt ne penſionarius de bonis penſionis clericalis pro libito teſtari & diſponere?* Reſp. Adfirmant plures molliores Ethices patroni, Vaſquez, Caſtropalaus, & alii. Verum ſententia hæc falſa eſt. Quemadmodum enim Beneficiarius, ita & Penſionarius ſuperflua in pios uſus diſtribuere obſtringitur, ut fuſius probatum eſt *Tom. II. diſſert. vi.*

VIII. Quæſt. VII. *Quænam ſunt penſionarii onera?* Reſp. Primum onus eſt recitatio officii parvi B. Virginis, ut ſtatuit S. Pius V. cuius Bulla habetur in *Tom. II. Bullarii Cherub. pag.* 160. in qua hæc habentur. *Quicumque penſiones, fructus, aut alias res eccleſiaſticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerum ipſarum amiſſioni ſubiacere.* Secundum penſionarii debitum eſt ſolvere decimam papalem, & ſubſidium ad reparationem Eccleſiæ, & ad alia onera, niſi Pontifex ſummus penſionem ab omni hoc onere liberet. Hæc præſcripta ſunt iure. Ceterum abſolute, & ſpectata lege naturali, qui penſionibus gaudent, inſervire pro modulo ſuo Eccleſiæ tenentur: quia iuxta Apoſtolum ad Theſſal. cap. III. *ſi quis non vult operari, nec manducet.* Quid? Devorabunt penſionarii Eccleſiæ reditus, otio diffluentes, quin ullum Eccleſiæ ſervitium præſtent? Hoc ne vel ipſe communis ſenſus permittit? Qui ergo aut ſimplicia beneficia, aut penſiones poſſident, debent iuxta proprium ſtatum & talenta Eccleſiæ famulatum præſtare.

IX. Quæſt. VIII. *An in penſionis impetratione manifeſtari penſiones debeant, & beneficia obtenta?* Reſp. Plures adfirmant, abſolute manifeſtandas eſſe & penſiones, & beneficia conſecuta, excepta penſione reſignationis cauſſa obtenta. Alii dicunt, in impetratione no-



novæ penſionis mentionem faciendam eſſe de aliis obtentis penſionibus, ſecus de beneficiis obtentis. Verum huiuſce difficultatis reſolutio ex ſtilo Curiæ, & regulis Cancellariæ pendet.

X. Quæſt. IX. *Quibus modis penſio extinguitur, aut transfertur?* Reſp. Extinguitur 1. obitu penſionarii. 2. ſi Clericus militiæ adſcribatur, monituſque eam non relinquat. 3. profeſſione penſionarii in aliqua Religione emiſſa. 4. ſi Clericus matrimonium contrahat. 5. promotione penſionarii ad Epiſcopatum. 6. ſi penſionarius habitum, & Tonſuram clericalem monitus deferre recuſet. 7. ſi penſionarius ipſe in totum, aut in partem penſionem remittat; niſi tamen titulo penſionis ſit ordinatus, quo in caſu nequit abſque Epiſcopi auctoritate penſionem dimittere.

XI. Transfertur autem penſio, cum ex una in aliam perſonam mutatur ius exigendi fructus ex beneficio. Solis Cardinalibus, vel paucis aliis privilegium concedi ſolet transferendi penſiones: quæ facultas non præſumitur, niſi perſpicuis verbis exprimatur. Diſputant Auctores, utrum in hac translatione, antiqua penſione extincta, nova inſtituatur. Adfirmans opinio mihi probabilior eſt: quia cum penſio ius ſit perſonale, non vacat, ut beneficium. Ergo quando transfertur, novum ius inſtituitur. Sed hæc nullius momenti diſputatio eſt. De hac tamen translatione moneri Beneficiarius debet. Pecuniæ acceptio pro penſionis translatione ſimoniaca eſt.

XII. Quæſt. X. *Quotuplex ſit coadiutoria?* Reſp. Duplex. Una temporalis, & revocabilis; altera perpetua, & irrevocabilis. Prima aſſignatur Parocho ſeni, non valenti ſuum officium peragere, cui datur coadiutor, qui illius vices ſuppleat, aſſignato ex fructibus beneficii iuſto ſtipendio. Coadiutoriam perpetuam cum iure ſuccedendi in beneficium a Tridentino *ſeſſ. xxv. cap. vii. de refor.* concedi prohibetur his verbis. *In coadiutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcumque beneficiis permittantur.* Solum ſummum Pontificem poſſe interdum, cauſſa cognita, & urgente neceſſitate, concedere coadiutoriam cum futura ſucceſſione, Concilium ibidem declarat. Coadiutoria non eſt proprie beneficium.

XIII. Coadiutores cum futura ſucceſſione, iubente principali inſervire præbendæ, & Canonicatui, tenentur, etiamſi in litteris coadiutoriæ hoc debitum non exprimatur. Siquidem coadiutor cum futura ſucceſſione gaudet honoribus, præeminentiis, & prærogativis quibus fruitur principalis Canonicus. Ergo eo ipſo quod coadiutoriam acceptat, ſuſcipit onus inſerviendi præbendæ, quoties principalis hoc petit. Coadiutus tempore infirmitatis, & legitimi impedimenti lucratur ea omnia quæ lucraretur, ſi coadiutore careret. Si principalis ſit excommunicatus, poteſt coadiutor inſervire & lucrari, quia non principalis nomine, ſed proprio inſervit. Coadiutores ultimam occupant ſedem inter Canonicos. Coadiutor, & principalis dividere poſſunt menſes, ſeu tempus aſſignatum recreationis cauſſa Canonicis; dummodo ambo plus temporis non abſint a choro quam aſſignatum a Concilio Tridentino eſt *ſeſſ. xxiv. cap. xii.*

XIV. Quando expediuntur litteræ coadiutoriæ, ſi principalis obiit, ſucceſſio nulla eſt: quia coadiutori conceditur ius ad beneficium vacaturum: ergo, ſi beneficium ante conceſſionem vacaverit, conceſſio nulla eſt. Coadiutor, & principalis poſſunt ambo Eccleſiæ ſervitio, & omnibus functionibus intereſſe. Coadiutoria non poteſt ſimul cum alio beneficio reſidentiam exigente componi; ut evidens eſt. Coadiutor tenetur habitum & tonſuram clericalem deferre. Vi tamen huius muneris non obſtringitur ad divinum officium recitandum: cum ad id teneatur principalis. Quamobrem nihil de fructibus, aut diſtributionibus percipere valet, niſi aliter partes convenerint; ſicuti non tenetur coadiutor in ingreſſu Fabricæ ſolvere quod ſolvunt Canonici: quia qui commodum non ſentit, neque pati onus debet.

## CAPUT III.

### *De Paſtorum reſidentia.*

I. Quæſt. I. *Utrum animarum Paſtores iure naturali, divino, & eccleſiaſtico reſidere in ſuis Eccleſiis teneantur?* Reſp. Adfirmant communiter Theologi omnes: & hæc ſententia vera, & ineluctabilis eſt. Diu hæc controverſia agitata in Concilio Tridentino fuit, & ſtrenue pro ea pugnavit celeberrimus Petrus Soto. Ambroſius Catharinus, liberioris ingenii homo, in *opuſculo de reſidentia* hanc iuris tantum eccleſiaſtici eſſe contendit. P. Vaſquez *de beneficiis art.* 2. fatetur, eam eſſe de iure naturali; ſed in Scripturis ſanctis non haberi expreſſum textum qui ius divinum declaret. Verum Theologi communiter hos textus, & quidem luculentos afferunt.

II. Auctoritate itaque divinarum Scripturarum hæc communis ſententia in primis confirmatur. Et primum Eccl. VII. *Pecora*

*tibi ſunt? Attende illis, & ſi ſunt utilia, perſeverent apud te.* Rurſus Proverb. xxvii. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Chriſtus autem hanc doctrinam luculentius inculcat *Ioan. cap. x.* ubi paſtoris officium explicat, inquiens: *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves.* Et iterum cap. xx. *Paſce oves meas.* Et S. Petrus *Epiſt. I. cap. v.* ait: *Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum; qui & eius quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum; neque turpis lucri gratia; ſed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo; & cum apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.*

III. Hæc divina teſtimonia ſunt adeo luculenta, ut nulla egeant interpretatione. Si paſcere gregem Dei verbum prædicando, docendo, ſacramenta adminiſtrando; ſi defendere gregem a lupis Paſtores debent: numquid præſtare munera illa abſque perſonali præſentia valent? Numquid cognoſcere oves, illarumque ingenium, mores, ægritudines; numquid ſolari viduas, providere pauperibus diſtantes poſſunt? Si Paſtor abeſt, quomodo audire illius vocem oves poſſunt? Quare Concilium Tridentinum iure *ſeſſ.* xxiii. *cap.* i. *de reform.* iuris divini hanc reſidentiam declaravit. *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munia paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt qui gregi ſuo non invigilant, nec aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: ſacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in iudicio, & veritate paſcant, & regant.* Et quamvis de Epiſcopis expreſſe hic Concilium loquatur, eadem tamen eſt omnium Paſtorum ratio, ut ſub capitis finem Concilium ipſum declarat. Paſtores ſunt lux populi, ſal terræ, doctores, medici, iudices: quæ officia præſtari abſque perſonali præſentia prorſus nequeunt.

IV. Abſentes ſex continuis menſibus a propria diœceſi privationem quartæ partis fructuum ipſo facto incurrunt: & aliam quartam partem amittunt, ſi eamdem abſentiam aliis ſex menſibus continuaverint; ut ibidem Tridentinum ſtatuit. Hanc ſententiam contra *Catharinum* triumphali calamo, inquit Natalis Alexander, tractarunt Bartholomæus *Carranza* Archiepiſcopus Toletanus, Dominicus Soto, Franciſcus Turrianus S. I. Cardinalis Bellarminus, & ante iſtos omnes Cardinalis Caietanus 2. 2. *ad quæſt.* clxxxv. quibus communiter, ut dixi, accedunt Theologi alii.

V. Quæſt. II. *Romanus Pontifex, eiuſque Cardinales tenentur ne reſidere ut ceteri Paſtores?* Reſp. Iuri naturali & divino non minus Pontifices, & Cardinales, quam ceteri Paſtores, ſubiecti ſunt. Pontifex Romæ, & cum eodem Cardinales reſidere tenentur; neque inde abeſſe valent, niſi gravis adſit cauſſa, quæ excuſet a reſidentia. Diſputant Canoniſtæ, & Theologi, num Cardinales inſtituti Epiſcopi poſſint Romæ reſidere, & a ſuis Epiſcopatibus abeſſe? Adfirmant Canoniſtæ *Abbas*, *Gonzalez*, *Barboſa*, & alii plures: quia, inquiunt, qui reſidet in capite, reſidet in membris. Sed hæc opinio falſa eſt, & adductum axioma arbitrarium. Si ceteri Paſtores nequeunt gregem paſcere, & munera paſtoralia abſentes obire, qua ratione præſtare id Cardinales poſſunt? Ex quo creati Paſtores talis diœceſis ſunt, continuo iure naturali & divino, non ſecus ac ceteri Paſtores reſidere in diœceſi debent. Et hoc expreſſe Tridentinum Concilium *ſeſſ.* xxiii. *cap.* i. declaravit his verbis. *Declarat ſancta Synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quocumque nomine, & titulo præfectos, etiamſi ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonaliter reſidendum, ubi iniuncto ſibi officio defungi tenentur; neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſſis, & modis infraſcriptis.* Et Urbanus VIII. ſub graviſſimis pœnis in Bulla, cuius initium eſt, *Sancta Synodus*, præcipit ut Cardinales Epiſcopi e Curia Romana diſcedant, & ad reſidendum in propriis diœceſibus ſe conferant. Eo autem in loco diœceſis reſidere Epiſcopi debent in quo extat Cathedralis. Si duæ ſint Cathedrales, in earum alterutra reſidere poſſunt.

VI. Quæſt. III. *Quæ cauſſa excuſant Epiſcopos a perſonali reſidentia?* Reſp. Concilium Trid. eadem *ſeſſ.* xxiii. *cap.* i. ubi debitum reſidendi denuntiat, exponit quoque cauſſas ob quas poſſunt a reſidentia Paſtores abeſſe, his



his verbis. *Cum chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem ſacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſſas a beatiſſimo Pontifice, Metropolitano . . . in ſcriptis eſſe approbandas, niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adiunctum: cuius quoniam cauſſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit . . . Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant.*

VII. Abeſſe ab Eccleſia propria Paſtores valent, ſi abſque eiuſdem notabili detrimento caritas Chriſti poſtularet ut aliis Eccleſiis periclitantibus ſuccurrerent, ut Magnatum diſcordias componerent, quoties illorum induſtria ad id neceſſaria reputaretur. Urgens neceſſitas defendendæ propriæ vitæ excuſat a reſidentia, quando propriæ Eccleſiæ non immineat ex abſentia detrimentum. Celebre eſt S. Athanaſii exemplum, ex cuius abſentia Eccleſia Alexandrina maius percipiebat ſubſidium quam cepiſſet ex alterius Epiſcopi præſentia. Quoties e contrario abſentia Paſtoris Eccleſiæ graviter obeſſet, tum pro ovibus danda vita foret; ut ex Evangelio conſtat, & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxv. *art.* 5. declarat his verbis. *Dicendum, quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem. Et ideo ubi ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens; cum bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis.*

*Si vero ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri, tunc licet Paſtori vel propter aliquod commodum Eccleſiæ, vel propter perſonæ periculum corporaliter gregem deſerere. Unde Auguſt. dicit in epiſt. ad Honoratum . . . Fugiant de civitate in civitatem ſervi Chriſti, quando eorum quiſquam ſpecialiter a perſecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita quæruntur, non deſeratur Eccleſia. Cum autem omnium eſt commune periculum, hi qui aliis indigent, non deſerantur ab his quibus indigent. Si enim pernicioſum eſt proretam in tranquillitate navem deſerere, quanto magis in fluctibus? ut dicit Nicolaus Papa I. & habetur* vii. *quæſt.* i. *cap. Sciſcitaris.*

VIII. Verba Tridentini, *evidentis Eccleſiæ aut Reipublicæ utilitatis*, a pluribus facillime amplificantur plus æquo: quia commodum & utilitatem Paſtoris cum utilitate Eccleſiæ confundunt. Quid, ſi Paſtores Eccleſias opulentis reditibus præditas venarentur, & aſſequerentur; deinde in Principum Regumque aulis vitam degerent? Quid, ſi ad diœceſes mitterent edicta ſeverioribus morum regulis & effatis contexta, ut & populo fucum facerent, & propriæ nequitiæ hypocriſis velum prætenderent? Si neceſſaria eſt illorum præſentia, & induſtria, nullo iure in Principum aulis degere ipſi valent, & aliis Eccleſias moderandas tradere. Quid famulari Deo & mammonæ, Chriſto & mundo contendunt?

IX. Quæſt. IV. *Poſſunt ne Epiſcopi unius anni trimeſtre coniungere cum trimeſtri alterius anni?* Reſp. Concilium Trid. *loc. cit.* a reſidentia trium menſium intervallo levandi animi cauſſa Epiſcopos abſolvit. Caſuiſtæ illi qui liniendis divinis humaniſque legibus ſtudent, in controverſiam vocant, num Epiſcopi huius anni trimeſtre copulare cum alterius anni trimeſtri queant, & ſex continuis menſibus a reſidentia abeſſe? Adfirmant Diana, & Pelizarius, quibus ſubſcribunt Salmanticenſes *punct.* 5. *num.* 108. quia Tridentinum id non prohibet; & quia continuatio trimeſtris unius anni cum alterius anni trimeſtri non excedit materiæ parvitatem. Hæc opinio falſa & laxa eſt, legemque circumvenit. Ex ea conſequitur, poſſe Epiſcopo ſibi viginti, triginta vitæ annos pratlimere, & omnium annorum trimeſtria copulare. Tridentinum non prohibet hanc continuationem: quia Tridentinum omnia commenta caſuiſtica prævidere nec potuit, nec debuit. Sex menſium intervallum non excedit materiæ parvitatem? Otio ne in his labefactandis figmentis mihi erit abutendum? Sex menſium abſentia graviſſimum detrimentum diœceſi natura ſua affert.

X. Quæſt. V. *Tenentur ne Parochi, & quilibet animarum curatores iure divino reſidere?* Reſp. Parochi, & omnes animarum curati Rectores iure naturali, & divino reſidere aſtringuntur, ut ex Tridentino conſtat. Sunt enim Paſtores: ergo adeſſe gregi debent. Nec beneficii tenuitas a reſidentia excuſat. Reſidere autem intra propriæ parochiæ confinia Parochus debet. Si ſint duæ parochiæ unitæ, in principali; ſi ſint æquales, in qua ma-

F 4

maluerit, reſidere poterit. In eo loco figenda eſt reſidentia, quando libertas adeſt, in quo Paſtor commodius aſſiſtere gregi valeat. Communiter domus parochiales ſunt determinatæ, & prope Eccleſiam conſtitutæ, in quibus reſidendum Parochis eſt; niſi ipſi propriam domum habeant æque commodam. Nihilominus communiter in domo parochiali reſidere debent; quia parochiani ſæpe ob peculiares rationes petere domum in qua ſunt Parochi domeſtici, refugiunt. Solus eſſe cum ſuis miniſtris Parochus debet, ut omnibus acceſſus pateat, nulluſque ſit aut prætextus, aut cauſſa ad eum non accedendi. Grave peccatum committunt Paſtores, ſi notabili tempore a cura abſint; & fructus amittunt pro temporis rata, ut Tridentinum *cit. ſeſſ.* XXIII. *cap.* 1. declarat. *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque qui beneficium aliquod eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit, ita tamen ut quandocumque eos, cauſſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſſa, non obtineant.*

XI. Diſputant Theologi, & Caſuiſtæ, quantum temporis abeſſe a Parochia abſque gravi culpa queant Paſtores. Barboſa *tract. de Paroch. num.* 44. aliquot horas aſſignat. Unius diei abſentiam nec laudat, nec vituperat. Trium aut quatuor dierum abſentiam a culpa mortali non excuſat. Poſſevinus octo dies, Reginaldus, Sanchez, & alii Parocho concedunt tres hebdomadas. Hæc opinio falſa, & laxa eſt. Licet enim facile non ſit hæc temporis intervalla definire; tamen quatuor, aut ſex dierum intervallum, abſque rationabili cauſſa, gravem conſtituere, juxta prudentum conſilium, materiam videtur. Nec ſubſtitutio Vicarii excuſat: quia Paſtor vigilare, paſcere, cuſtodire ſeipſo, non alterius ope, gregem ſuum debet. Ut duobus menſibus, quos concedit Tridentinum, abeſſe Paſtores animarum licite valeant, licentiam in ſcriptis habeant oportet, nec majus tempus concedi poteſt, niſi gravis urgeat cauſſa.

XII. Quæſt. VI. *Quænam cauſſæ excuſant Parochos, ceteroſque Paſtores inferiores a reſidentia?* Reſp. Sunt illæ ipſæ quæ excuſant Epiſcopum, *chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas.* Semper tamen ab Epiſcopo cauſſæ hæ cognoſcendæ, & probandæ ſunt. Si cauſſæ ſint fictæ, licet probatæ ab Epiſcopo, præter graviſſimum crimen, fructus amittuntur. Si neceſſitas ſit urgens & evidens, & periculum ſit in mora, excuſatur in foro interno Paſtor abſens. Semper tamen conſulere Epiſcopum, cum facultas adſit, Parochi & Curati debent.

XIII. Neque Cardinales, neque Epiſcopi occupare in proprio ſervitio Parochos, & quoſcumque Paſtores licite valent: quidquid in oppoſitum aliqui doceant cum Navarro. Immo neque ſtudiorum cauſſa Parochi abeſſe valent. Quia aut ſunt idonei, & non egent incumbere extra parochiam in ſtudia litterarum: aut ſunt rudes, & deſtituti neceſſaria ſcientia, & dimittere beneficia debent, niſi propria induſtria, & ſtudio proficere reſidentes valeant. Docentes tamen ſacram Scripturam publice in Univerſitate, non in ſcholis privatis, & ſcholares ſerio ipſis ſcholis operam navantes juxta Trident. *ſeſſ.* V. *cap.* 1. *de refor.* non privantur fructuum perceptione. Ut vero fruantur hoc privilegio, debent litteras ſacras docere eiſdemque ſtudere. Utrum hoc privilegium non ſolum Beneficiarios, puta Canonicos, ſed etiam Parochos curam animarum habentes comprehendat; diſputant Theologi. Affirmant Probabiliſmo nixi Caſtropalaus, Salmanticenſes, & alii. Sed hanc ſententiam improbabilem cenſeo, & Tridentino adverſam. Parochi enim idonei eſſe debent ad regendas oves ſuas, & per concurſum judicati fuerunt tales. Cur ergo ſtudii cauſſa excuſantur a reſidentia, cui jure naturali, & divino obnoxii ſunt?

XIV. Quæſt. VII. *Quid dicendum de privilegiis ante Tridentinum conceſſis aliquibus Univerſitatibus, in quibus Parochi cathedras moderantur?* Reſp. Eugenius IV. an. 1431. Univerſitati Salmantinæ privilegium, cujus initium eſt, *Qui creditum* &c. impertit, vi cujus Licentiati, Baccalaurei, Magiſtri, docentes per octo menſes in præfata Univerſitate, fructus beneficiorum percipiunt. Vigere poſt Tridentinum dictum privilegium, Salmanticenſes *num.* 135. cum pluribus aliis contendunt: quia, inquiunt, praxis ſemper obtinuit ut in dicta Univerſitate Parochi, & præbendati docentes fructus beneficiorum percipiant. Derogata, & nulla eſſe ejuſmodi privilegia, conſtat ex verbis Tridentini *ſeſſ.* XXIII. *cap.* 1. ubi hæc habentur. *Nec exemtionem hanc quolibet privilegio, licentia . . . ſtatuto, etiam juramento, vel quacumque au-*

cto-



*ctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt ... vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe.* Quid expectari luculentius poteſt? Reponunt Salmanticenſes cum aliis, Concilium loqui de alia conſtitutione Eugeniana, non de conceſſa Univerſitati Salmantinæ. Sed hæc reſponſio omnino arbitraria eſt. Et ne ſim in re perſpicua longus, nonne ipſi Salmanticenſes propugnant, reſidentiam Paſtorum eſſe juris naturalis, divinique? An praxis continuata, conſuetudines, privilegia præſcribere contra jus divinum poſſunt? Ergo ſi de Paſtoribus curam animarum habentibus ſermo ſit, nullum eſt privilegium Eugenianum, nullæ ſunt conſtitutiones ceteræ, & conſuetudines oppoſitæ; quæ corruptelæ potius dicendæ ſunt.

XV. Quæſt. VIII. *Obligati ne ſunt Canonici, Præbendati, Manſionarii, Capellani Eccleſiæ cathedralis ad reſidentiam?* Reſp. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. *de ref.* hæc ſtatuit. *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuſque ſtatuti ..... conſuetudinis ..... ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe* &c. Si plura cupis, lege *Tom. II. in Decal. diſſ.* II. *cap.* XI. ubi ea omnia invenies quæ ad hanc, ceteraſque quæſtiones quæ diſputari hic ſolent, dirimendas pertinent.

XVI. Quæſt. IX. *Electi ad beneficia debent ne Ordines iiſdem annexos ſtatim ſuſcipere?* Reſp. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* II. *de refor.* hæc decernit. *Eccleſiis cathedralibus, ſeu ſuperioribus quocumque nomine, ac titulo præfecti, etiamſi S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur. Si intra totidem menſes poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo jure ſint privati.* Nec ad has pœnas incurrendas judicis ſententia requiritur; ſed ipſo facto contrahuntur; cum non tam pœnæ, quam conditiones ſint, quæ præcedere Epiſcopatum debent. Electi vero ab beneficium curatum, niſi intra annum promoveantur ad ſacerdotium, privantur beneficio, quando ipſi in cauſſa ſunt cur non ordinentur. Annus autem intra quem ordinandus electus eſt, computari a die ſuſcepti regiminis, & captæ poſſeſſionis pacificæ debet; ſic communiter Auctores docent. Similiter qui in Cathedralibus aſſequuntur canonicatus, præbendas, portiones, & quælibet alia beneficia, quibus annexi Ordines ſunt, intra annum ſuſcipere eoſdem debent; ut determinavit Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* IV. *de reform.*

## CAPUT IV.

*De qualitatibus ad validam & licitam acquiſitionem neceſſariis.*

I. Quæſt. I. *Quæ ætas requiratur in promovendis ad beneficia eccleſiaſtica?* Reſp. De eligendo ad Papatum nihil canones ſacri decernunt. Ad Epiſcopatum eligi nemo poteſt ante annum trigeſimum completum. In Galliis, inquit Gennetus, vi privilegii Concilii Lateranenſis ſub Leone X. ſat eſt annus 27. in promovendis ad Epiſcopatum. Ætas vero in eligendis ad dignitates, & canonicatus Eccleſiæ cathedralis definita eſt in Conc. Trid. *ſeſſ.* XXIV. *c.* XII. *de ref.* & eſt annus 25. ſi dignitatibus annexa ſit animarum cura: pro aliis vero dignitatibus ſufficit annus 22. completus. Ad præbendam pœnitentiariæ requiritur annus 40. ex eodem Tridentino. Si dignitas ſit ſubdiaconalis, 22. ſi diaconalis, 27. ſi presbyteralis, 25. annus exigitur. Ut quis eligatur in Parochum, 25. annum agat oportet. Pro aliis beneficiis ſimplicibus ſufficit ætas 14. annorum; tum enim initiari prima Tonſura quis poteſt. Nec requiritur ut annus ſit completus, ſed ſufficit inceptus. Hæc ætas numerari non a baptiſmo, ſed a nativitate ſolet.

II. Quæſt. II. *Quæ ſcientia, & morum probitas requiritur in promovendis ad beneficia?* Reſp. Plura dixi tum ſuperiori Tomo de ſcientia Confeſſarii, tum de ſacramento Ordinis, quæ repeti hic non debent, ſed *cit. loc.* legenda ſunt. Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* II. *de reform.* de eo qui ad cathedrales Eccleſias aſſumendus ſit, hæc habet. *Scientia vero præter hæc ejuſmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere. Ideoque antea in Univerſitate ſtudiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel jure canonico merito ſit promotus, aut publico Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quod ſi Regularis fuerit, a Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.* S. Paulus I. *ad Tim.* III. de Epiſcopo inquit: *Oportet eſſe doctorem:* & rurſus ad *Tit.* I. ſubdit: *Amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.*

III. Morum probitatem neceſſariam in

Epi-

Epiſcopo, & quolibet Paſtore animarum explicat ibidem ad *Tim. cap.* III. S. Paulus, inquiens: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, non neophytum.... & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Plura *locis cit.* dicta ſunt tum de moribus, tum de ſcientia Scripturarum, Canonum, & Patrum, quin illa repetere debeam.

IV. Quæſt. III. *An licitum ſit deſiderare beneficia quibus annexa eſt cura animarum?* Reſp. Etiam contra eiuſmodi appetitiones plura dicta ſunt ſuperiori *diſſ. de ſacr. Ordinis*. Pauca nunc adiiciam Sanctorum dicta. S. Thomas *quodlib.* II. *artic.* II. hæc ſcribit. *Qui appetit prælationem, aut eſt ſuperbus, aut iniuſtus. Iniuſtitia enim eſt quod aliquis velit ſibi plus de honore accipere, aut de poteſtate, aut de aliis bonis, niſi ſit meritis dignus..... Quod autem aliquis æſtimet ſe eſſe magis dignum prælatione, omnibus illis ſuper quos prælationem accipit, ſuperbiæ & præſumptionis eſt. Unde patet quod quicumque prælationem appetit, aut eſt iniuſtus, aut ſuperbus. Et ideo nullus ſuo appetitu debet ad prælationem pervenire, ſed ſolum Dei iudicio, ſecundum illud Apoſtoli ad Hebr.* V. *Nemo ſibi aſſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Vide quæ habet 2. 2. *qu.* C. *artic.* 3. *ad* 5. item in *IV. diſt.* XXV. *qu.* III. *art.* 3. *ad* 4.

V. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt petere vacantem Eccleſiam?* Reſp. S. Raymundus in Summa *Lib.* I. *tit.* 1. §. 7. hæc ſcribit. *Ego diſtinguo, ſalvo meliori iudicio, quod non poteſt pro ſe petere Eccleſiam, vel dignitatem, vel aliud beneficium habens curam animarum annexam. Et in hoc ſentio cum Hugone. Beneficium vero ſimplex, ſi indiget, & ſentit ſe dignum, poteſt petere abſque metu peccati, & ſimoniæ.*

VI. S. Antoninus *Part.* II. *tit.* I. *cap.* V. §. 4. hæc habet. *Si porrigat preces pro ſe, pro obtinenda dignitate, vel beneficio, ſeu Eccleſia habente curam animarum; tales preces inducunt ſimoniam ſecundum Hugonem, Raymundum, & Thomam..... etiam quantumcumque eſſet dignus: quia ex ipſo quod ſe ingerit, præſumptuoſus, & ambitioſus videtur, & per conſequens indignus. Et ratio eſt ſecundum Thomam in quodlibetis, quia nullus exercere poteſt curam animarum extra gratiam ſeu cum peccato mortali digne: quia faciendo ea quæ pertinent ad curam, peccabit mortaliter. Sed nemo ſcire poteſt, ſi eſt extra peccatum mortale: & ſic eſt præſumptuoſus & ſimoniacus. Unde & nullus debet ſibi aſſumere honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.*

VII. Quæ docent SS. Raymundus, Thomas, Antoninus, hauſta ſunt ex antiquis Patribus. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* III. *in Act. Apoſt.* hæc habet. *Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert, ſi non das pecuniam, ſed pecuniæ loco adularis, ſubornas, multaque machinaris?* Pecunia tua ſit tecum in perditionem, *ad illum dictum eſt: & tibi dicetur: Ambitio tua ſit tecum in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari donum Dei.* Rurſus *hom.* XXXIV. ad Hebræos ſubdit: *Miror, ſi poteſt ſalvari aliquis Rectorum. Poſt tantam enim comminationem, quam negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & præcipitare ſeipſos in tantam molem, ac difficultatem regiminis.*

VIII. Sanctus Gregorius Magnus *Lib.* VII. *epiſt.* III. ad Epiſcopos Lugdunenſem, Arelatenſem, & Viennenſem. *Sicut autem qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, proculdubio eſt repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius, interius ad profunda deſcendat?* Plurima ſunt aliorum Patrum teſtimonia, quæ, ne ſim longus, prætereo.

IX. Illud moraliter certum eſt, eos non eſſe a Deo vocatos qui ſe ingerunt, qui litteras commendatitias, & Magnatum interceſſiones ſibi procurant. Ea nunc conſuetudo obtinet, inquiunt, ut ii ſoli beneficia aſſequantur qui petunt, qui precantur, & humana utuntur induſtria. Contra, qui ſilent, qui in publicum non prodeunt, neglecti & derelicti in angulo remanent. Deus autem conſueta media, & honeſtam procurationem non prohibet: nec miracula expectari ab illo debent. Hæc ſunt conſueta præſtigiæ, & hallucinationes hominum, qui ambitione, vel avaritia obcæcati, quæ ſibi adlubeſcunt, honeſtare nituntur. In iis quæ laborem, & applicationem poſtulant, otio diffluunt; in iis e contrario quæ ab hominum ſollicitudine nullo modo pendent, ſolliciti, induſtrioſi, & anxii ſunt. Vocatio, & electio ad animarum regimen ſoli Deo competit. Omnem induſtriam humanam ab hoc negotio Scripturæ divinæ excludunt: & homines

va-



vani & ambitioſi in primis hæc ſtudia & ſollicitudines ſuas conferunt. Induſtriam, laborem, ſedulamque navandam operam Deus imperat ſacris litteris inveſtigandis, eccleſiaſticæ diſciplinæ eruditioni perdiſcendæ ab iis præſertim qui ad Epiſcopatum, ad animas dirigendas vocati ſunt. Et laborem illum, induſtriam illam, operam hanc, ſollicitudinem hanc candidati beneficiorum communiter negligunt, & fere execrantur. Et quo torpidiores in veris mediis ad beneficia comparanda neceſſariis fuerunt, eo ſunt vigilantiores & induſtriores in venandis Magnatum, & matronarum officiis, & interceſſionibus apud Epiſcopum collatorem. Verum ſi Epiſcopi primas quas accipiunt, litteras commendatitias in aula coram omnibus flammis adiicerent, ſi primos commendatos reprobarent, nemo in poſterum his commendationibus ſtipatus accederet. Quare Epiſcopi illi qui has litteras admittunt, & ſæpe expectant, gaudentque his officiis ſollicitari, ut inde ipſi emolumentum capiant; ut ſibi nempe hac via commendatores, & commendatrices devinciant, obligent ad ſuas politicas rationes promovendas: Epiſcopi, inquam, illi omnium malorum hinc manantium ſunt cauſſæ principes. Epiſcopi ſoli hanc veneficam peſtem, quæ crudeliſſime in Eccleſiam ſævit, tollere de medio, & Eccleſiis optimos præficere Paſtores valent.

X. Quæſt. V. *Licitum ne eſt concurrere ad examen fieri ſolitum in proviſione vacantium Eccleſiarum?* Reſp. Eccleſia in Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de ref.* examen faciendum præſcribit. Si concurſus illicitus foret, Eccleſia pro examine concurrentium edicta non publicaret. Ex alia parte concurſus ad examen videtur reipſa beneficii petitio. Quid ergo dicendum? Concilium Tridentinum *loc. cit.* inquit: *Per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari*: quibus verbis perſpicue declarari videtur, licitum eſſe, ſe huic examini offerre: alioquin fruſtraretur Eccleſia fine ſuo, qui eo pertinet, ut explorare, & dignoſcere hoc examine, qui ſint idonei Paſtores Eccleſiis præficiendi, valeat. Quare improbare non audeo illos qui huic examini ſe ſiſtunt; dummodo tamen conſilio docti, & periti Confeſſarii, & alterius prudentis viri Dei tanto ſe diſcrimini committant; dummodo pleniſſima indifferentia, & abſque omni appetitione beneficii aſſequendi accedant. Pugnantia ſuadeo, inquis, cum ipſe concurſus ſit revera quædam beneficii petitio. Falleris. Concurſus ad examen eſt tui ipſius oblatio, ut Epiſcopus, qui vices Dei gerit, habilitatem tuam exploret, teque aut eligat, aut reiiciat. Præciſiones ſunt iſtæ, reponis, quæ in praxi difficillime ſeparantur. Recte & bene. Idcirco res aleæ plena eſt reſpectu tui concurſus iſte. Eccleſia iure ſancteque ad examen invitat, ut optimos ex bonis ſeligere Paſtores valeat. Et tu, ſi, ut Eccleſiæ voci aures aperias, & huic Eccleſiæ conſuetudini pareas, te ſiſtis prævio prudentum conſilio examini, actio tua eſſe bona & ſancta poteſt: ſi beneficii appetitio latitat, & ambitio tecta ſerpit, vitio inſici concurſus tuus poteſt. Licita eſt neceſſaria tui defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, numquam tamen tibi licet intendere invaſoris occiſionem; tametſi hæc tuam conſequatur defenſionem. Difficile in praxi hæc duo ſeiunguntur; & tamen ea permiſcere vetitum eſt. Sic in præſentia. Perdifficile eſt ſeparare deſiderium regendi animas a voluntate ſubeundi examinis; nihilominus, ut concurſus tuus licitus ſit, hæc duo ſeparata ſint neceſſum eſt. Siquidem omnes divinæ Scripturæ, omnes Patres appetitionem Epiſcopatus, & cuiuſcumque beneficii cui annexa eſt animarum cura, improbant. Contra Eccleſia concurſum ad examen probat. Ergo concurſus ad examen ſeparari a deſiderio & appetitione beneficii poteſt; atque adeo licite te examini ſiſtere vales, quin beneficium, ſi vis, appetas. Id ſolum verum habet, difficile in praxi ob humanam & infirmitatem, & malitiam hæc duo ſeiungi. Quamobrem, antequam huic te diſcrimini committas, perpendere ſerio debes vocationem tuam, talenta, ſpiritus fortitudinem, morum, & naturæ indolem, & hæc omnia prudentis, probi, doctique viri iudicio ſubiicere, & etiam conſiderare, num aliquod vocationis ad tantum munus ſignum Deus dederit. Nam Iſaias, poſtquam labia ſua calculo ſeraphico purgata expertus eſt, ad vocem Dei vocantis ad prædicandum ſe obtulit. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit? Et dixi: Ecce ego, mitte me.* cap. VI.

XI. Quæſt. VI. *Collatio beneficii facta Presbytero prorſus indocto eſt ne ipſa iure invalida?* Reſp. Si homini prorſus illitterato, qui nec latinam linguam calleat, neque ſancta Evangelia exponere ſciat, facta collatio ſit, invalidam communiter Auctores aſſerunt. Neque Pontifex ſummus diſpenſare iure valet, ut homini illitterato beneficium conferatur. Varia ſunt Auctorum placita in huiuſce litteraturæ notione tradenda. Verum,

rum, ut paucis rem expediam, illi ſunt reputandi illitterati qui ſcientia ſufficienti carent ad munera paſtoralia obeunda: qui divinas Scripturas, qui legis evangelicæ ſenſum, & ſpiritum ignorant: qui diſcernere inter doctrinam veram & ſanam, & doctrinam fallacem ac cavillatoriam, inter doctrinam quæ ſit evangelicæ legi conformis, & doctrinam quæ ab evangelica ſimplicitate, & ſanctorum Patrum ſapientia recedat, neſciunt. Verum de hoc fuſius dictum eſt in tractatibus tum de pœnitentiæ, tum de Ordinis ſacramentis.

XII. Quæſt. VII. *Quæ eſſe debet ſuſcipientis beneficium intentio?* Reſp. Intendere debet Deo cultum præſtare, & in vinea Domini adlaborare, & ſuam, gregiſque ſalutem operari. Nonnumquam intentiones vitioſæ ſunt, ſuperba dominandi, & refulgendi appetitio, cupiditas percipiendi reditus, & deſiderium voluptuoſe vivendi.

XIII. Quæſt. VIII. *Qui animo dubio ſuſcipiendi Sacerdotium recipit, beneficium, peccat ne mortaliter?* Reſp. Sententia adfirmans mihi vera eſt. Quare qui beneficium vel accipiunt, vel retinent cum animo dubio & conditionali ſuſcipiendi Sacerdotium, ſi frater habuerit ſucceſſionem, ſi illa hereditas non obvenerit &c. peccant mortaliter, & fructus perceptos reſtituere tenentur. Quia iſti fraudulenter fructus percipiunt, & beneficia reipſa ideo accipiunt, ut propriæ cupiditatis, avaritiæ, & ambitionis inſtrumenta ſint. Iſti omni prorſus Dei vocatione carent. Diſtinctio Salmanticenſium *num.* 187. de animo dubio, & conditionato, mera ſpeculatio eſt. Si intra annum mutet voluntatem, & revera deliberet ſuſcipere Sacerdotium, & reipſa ſuſcipiat ſub finem anni, tenetur ne tum perceptos fructus reſtituere? Negant Salmanticenſes *numer.* 190. cum Sanchez, Leſſio, Navarro, & aliis; ſed adfirmant Soto *Lib. X. quæſt.* v. *art.* 6. Toletus *Lib. V. cap.* v. Huic adfirmanti ſententiæ ſubſcribo: quia actus poſterior antecedentem nullum, validum non efficit. Iniuſtam ergo perceptionem fructuum priorem voluntas bona adveniens iuſtam non reddit.

XIV. Quid, ſi dum candidatus recipit beneficium curatum, animo ſuſcipiendi Sacerdotium revera præditus ſit, ſed poſtea voluntatem mutet, & Sacerdotio reipſa non initietur? Negant Salmanticenſes *num.* 193. cum pluribus aliis, tunc reſtituendos fructus eſſe; ſed opinio adfirmans, quam defendunt Soto, Toletus, Vaſquez, Barboſa, & alii graviſſimi Auctores, mihi probabilior eſt. Quoniam fructus eccleſiaſtici iure percipi ex beneficio curato nequeunt, niſi ob munia ſacerdotalia aut præterita, aut futura. Sed qui poſt elapſos ſex aut decem menſes refugit Sacerdotium, nullo modo officia præſtitit ſacerdotalia. Ergo nullo modo retinere fructus poteſt.

XV. Quæſt. IX. *Peccant ne mortaliter qui beneficia ſimplicia ſine animo aſcendendi ad Ordines recipiunt?* Reſp. Sanchez, Caſtropalaus cum aliis negant peccare mortaliter eos qui accipiunt beneficia ſimplicia quibus Ordo ſacer non eſt annexus, animo eadem retinendi, uſquedum occaſio opportuna advenerit nubendi, aut ſtudia perſolvendi &c. ſed vera ſententia adfirmat. Quid enim abſurdius quam aliquem accipere Canonicatum, vel aliud quodcumque beneficium eccleſiaſticum divino obſequio deſtinatum, ut inde percipiat fructus, animo ſimul ducendi ditiorem uxorem, aut in ſtatu laicali vivendi? Hæc enim intentio ordinem naturalem divinumque pervertit. Si vero hæc beneficia annexos ſacros Ordines habeant, tum evidentius graviuſque mortaliter peccant, nec ſunt abſolvendi, donec aut animum mutent, aut beneficia dimittant.

XVI. Quæſt. X. *Qui beneficia recipiunt, debent ne eſſe illius loci in quo beneficia ſunt inſtituta?* Reſp. In pluribus regnis, & provinciis leges ſunt quæ beneficia extraneis conferri vetant. Quæ leges, utpote iuſtæ, ſervandæ abſolute ſunt, niſi aliqua circumſtantia obſit: habent enim plura convenientiæ, & honeſtatis momenta. Debent ergo eſſe ſuſcipientes naturales illius loci in quo beneficia conferuntur. Illi autem dicuntur naturales loci quorum pater in eo domicilium habet. Plura diſputant Auctores ſuper eiuſmodi legibus, quæ ad forum externum pertinent.

XVII. Quæſt. XI. *Quando fundatores determinarunt beneficia eſſe conferenda conſanguineis, debent ne propinquiori conferri?* Reſp. Cum fundatores ſint abſoluti domini fundorum in quibus beneficium inſtituitur, iure imponere valent ut de tali familia eligantur Beneficiarii, ſive beneficia ſimplicia ſint, ſive curata; dummodo eligendi digni reperiantur. Quando ergo fundatores ſtatuunt ut eligendi ſint conſanguinei, propinquior præferri ceteris debet. Spurii & illegitimi excluſi ſunt, niſi a Papa, vel a Principe legitimati fuerint. Præferendi tamen ſunt naturales & legitimi ſpuriis & illegitimis,

etiamſi



etiamſi legitimati ſint, etiamſi illegitimi fuerint in proximiori gradu, & eo magis ſi ſint in æquali. Diſputant vero Canoniſtæ, & Theologi, num gradus propinquitatis a iure civili, an canonico repeti debeat. Alii a iure canonico, alii a civili arceſſendam volunt. Sed probabilior opinio eſt quæ in hac materia gradus deſumendos eſſe docet a iure civili. Si tamen in deſignatis familiis nullus dignus reperiretur ad beneficium curatum, tum Epiſcopus, neglectis familiis deſignatis, aliunde dignos ſeligere debet, quos præficiat Eccleſiis regendis.

XVIII. Quæſt. XII. *Quot modis filii illegitimi fieri habiles poſſint ad beneficia eccleſiaſtica?* Reſp. Quatuor aſſignantur modi. 1. per ſubſequens matrimonium, reſpectu tamen filiorum naturalium, qui nati ex parentibus ſunt qui tempore illicitæ conceptionis contrahere valide matrimonium poterant. 2. per pontificiam legitimationem. 3. per Pontificis ſummi diſpenſationem. 4. per profeſſionem religioſam.

XIX. Quæſt. XIII. *Expoſiti, quorum ignorantur parentes, habendi ne pro legitimis ſunt?* Reſp. Ius canonicum pluribus in locis præſcribit ut ad beneficia promovendi ſint legitimi, nempe qui ex legitimo matrimonio nati ſunt. Expoſitos autem communior ſententia habet ut legitimos: quia plures ex illis legitimi ſunt, & ob parentum inopiam projecti. Ergo communiter præſumendi ſunt legitimi omnes: quia, dum veritas non conſtat, interpretatio in hac ſimilique materia in meliorem fieri partem debet.

XX. Quæſt. XIV. *Qui aliqua cenſura obſtricti reperiuntur, ſunt ne ad beneficia habiles?* Reſp. Communis ſententia docet, ligatos excommunicatione maiori, interdicto, ſuſpenſione, aut irregularitate inhabiles eſſe ad beneficia. Diſſidium vero eſt inter Theologos, utrum collatio beneficii in hoc caſu, non modo ſit illicita, verum etiam invalida. Invalidam eſſe mihi probabilius videtur.

XXI. Neophyti quoque, ſeu recenter ad fidem converſi, inhabiles ſunt ad beneficia; ut habetur ex I. ad Timoth. III. *Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Poſt biennium tamen ex Pontificis, vel etiam Epiſcopi diſpenſatione poterunt, ſi probatæ vitæ fuerint, ad Ordines, & beneficia promoveri. Clerici quoque coniugati ſunt beneficii incapaces, quia ſunt veri laici; licet privilegio canonis, & fori fruantur. Filii Presbyterorum excludi omnino debent a beneficiis in illa Eccleſia in qua pater beneficium habuit; ut determinat Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *cap.* xv. *de reform.*

## CAPUT V.

*Quot modis acquiri beneficia poſſint?*

I. Tribus modis acquiri beneficia ſolent. 1. patroni præſentatione, & inſtitutione conſequente: 2. electione, & confirmatione: 3. collatione libera.

II. Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit iuſpatronatus, & quibus modis acquiratur?* Reſp. Iuſpatronatus deſcribitur *poteſtas nominandi, ſeu præſentandi aliquem inſtituendum ad beneficium eccleſiaſticum vacans.* Tribus modis acquiritur ſive laicale, ſive eccleſiaſticum. 1. fundatione, quando quis fundum concedit ad Eccleſiam ædificandam. 2. conſtructione, quando quis propriis ſumptibus Eccleſiam conſtruit. 3. dotatione, quando quis Eccleſiam dotat, ei, & miniſtris ſufficientes reditus tribuendo. Parum autem refert, licet Auctores diſſideant, quod Eccleſia ſive ante, ſive poſt conſtructionem dotetur. Ad iuſpatronatum eccleſiaſticum quocumque titulo acquirendum auctoritas Epiſcopi neceſſaria eſt. Iuſpatronatus tamen non acquiritur, niſi ædificator Eccleſiam dotet: quoniam abſque reditibus beneficium non conſiſtit. Hinc ſi fundator reditus Eccleſiæ non donet; iuſpatronatum non acquirit. Ut autem quis iuriſpatronatus titulum poſſideat, certa habere eiuſdem documenta debet, ut Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *cap.* ix. determinavit his verbis: *Ut debita in omnibus ratio obſervetur, titulus iuriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione quæ ex authentico documento, & aliis iure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundum iuris diſpoſitionem.* Lege plura ibi. Transfertur iuſpatronatus iure hereditario, donatione, & cum re vendita. Ius enim ſeipſo venditioni non ſubiacet. Iuſpatronatus quatuor commoda acquirit, his verſibus contenta:

*Patrono debetur honos, onus, emolumentum:*
*Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.*

Patronus habet honorem, & facultatem præſentandi Clericum ad beneficium vacans, occupandi primum locum in choro, & in functionibus eccleſiaſticis. Onus ei incumbit protegendi Eccleſiam, eiuſque iura: & tandem, ſi ad egeſtatem redactus fuerit, Eccleſia, ſi poſſit, illi præbere alimenta tenetur.

III.

III. Quæſt. II. *Intra quod temporis intervallum tenentur patroni præſentationem facere?* Reſp. Patronis eccleſiaſticis ius canonicum concedit ſex menſes, ſæcularibus quatuor, mixtis ex ſæcularibus & eccleſiaſticis ſex. Hoc ſemeſtre, vel quadrimeſtre computatur a die notitiæ certæ habitæ a patrono. Si lis ſit inter patronos, & Epiſcopum ſuper iure præſentandi, tempus non currit, ut communiter Auctores docent: ſimiliter ſi lis ſit inter præſentatos, tempus gradum ſiſtit. Quando vero lis eſt inter ipſos patronos, & tempus elapſum eſt, collatio beneficii devolvitur ad Epiſcopum, qui tamen prorogare per aliud ſemeſtre valet.

IV. Præſentandi autem conditiones habere debent quæ Clericum aptum reddunt ad beneficium, & impedimentis carere quæ ſupra explicata ſunt. Nemo præſentare ſeipſum poteſt: ſi tamen plures patroni ſint, unus præſentare alium poteſt, ſicut electores unum ex electoribus ſeligere valent. Pater præſentare filium dignum poteſt. Patroni autem ſive laici, ſive eccleſiaſtici præſentare digniorem tenentur; quidquid in oppoſitum aliqui dicant.

V. Quæſt. III. *Quid ſit inſtitutio, & a quo facienda?* Reſp. Inſtitutio eſt *conceſſio Eccleſiæ, ſeu beneficii, auctoritate Epiſcopi, vel Ordinarii facta, non cuivis Clerico, ſed unice ei qui a patrono eſt nominatus, ſeu præſentatus*. Clericus præſentatus intra terminum iuris exhibere præſentationis documentum perſonaliter tenetur; ut Tridentinum *ſeſſ. XXIV. cap. XVIII. de reform.* determinat. Epiſcopus autem ſolus debet iure communi inſtituere in beneficio eum quem Patronus ex Clericis examinatis digniorem nominaverit. Ex delegatione tamen Vicarius generalis Epiſcopi poteſt, inquiunt communiter Auctores, inſtituere præfatum nominatum. Quando a pluribus patronis plures Clerici nominantur, dignior præferri debet. Iuſta occurrente cauſſa, ſummus Pontifex poteſt abſque patroni conſenſu beneficia conferre. Semper tamen, gravi ſublata cauſſa, ſervari debet quod Tridentinum *ſeſſ. XXV. cap. IX.* præſcribit, nempe: *Patronatuum iura tollere, piaſque fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare, æquum non eſt.*

VI. Quæſt. IV. *Quid ſit electio, & cui competat?* Reſpondeo. *Eſt alicuius hominis ad Eccleſiam, ſuo vacantem Paſtore, canonice facta vocatio, Superioris auctoritate firmanda.* Si electio non requirat confirmationem, collatio dicitur, non electio. Beneficia electiva ſunt Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Archimandritæ, Cœnobiarchæ, Abbatiæ, Prioratus &c. Circa illos, quibus facultas eligendi competit, varia fuit & eſt diſciplina. Olim ad Clerum, & populum electio attinebat. Nunc Romani Pontifices eligunt Prælatos Eccleſiarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium. In Germania tamen viget conſuetudo antiqua eligendi ex Canonicorum Collegio Epiſcopum, a Pontifice ſummo confirmandum. Plures Reges ex conſuetudine, vel ex conceſſione Romani Pontificis ius habent nominandi omnes Epiſcopos pro Eccleſiis cathedralibus ſuorum regnorum. Venetiis peculiaris viget diſciplina. Summi Pontifices in univerſa Eccleſia, & Epiſcopi in ſua diœceſi ad beneficia eccleſiaſtica eligere valent. Hac tamen univerſali poteſtate non utuntur Pontifices ſummi.

## CAPUT VI.

*De dignioribus ad beneficia eccleſiaſtica eligendis. Laxe* Filliucii, Tamburini, *aliorumque Probabiliſtarum interpretamenta reiiciuntur.*

I. Quæſt. I. *An dignior ad beneficia eccleſiaſtica, omiſſo digno, eligi debeat?* Reſp. Dignior ille dicitur qui utilior miniſterio eſt. Hæc maior dignitas, non ex una, aut altera dote, puta doctrina profundiore, ſanctitate ſublimiore, ſed ex omnibus eligendi dotibus ſerio propenſis exurgit. Concilium Tridentinum *ſeſſ. XXIV. cap. I. de reform.* docet, Electores, *alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Epiſcopi, electoreſque omnes integrum huiuſce Concilii caput ſemper ante electionem legere ſerioque meditari deberent.

II. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXIII. *art.* 2. hæc habet. *Conſiderare oportet, quod dignitas alicuius perſonæ poteſt attendi dupliciter. Uno modo ſimpliciter, & ſecundum ſe: & ſic maioris dignitatis eſt ille qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quod ille qui eſt minus ſanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid huiuſmodi. Et quia diſpenſationes ſpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, ſecundum illud I. Cor. XII.* Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem: *ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium illi qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur, ſicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.*



III. Ad quæſitum ergo reſpondeo cum communi & vera Theologorum ſententia, definita in Concilio Tridentino, & confirmata ab Innocentio XI. peccare mortaliter electores qui ad beneficia ſive curata, ſive ſimplicia non eligunt digniores. Verba Tridentini adeo perſpicua ſunt, ut nulla eludi interpretatione queant.

IV. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. cap. 4. §. 4. n. 5.* „ Aſſero ſecundo, omnia beneficia, ſive maiora, ut Cardinalatus, & Epiſcopatus, ſive minora, ut Canonicatus, & Capellania, ſive curam animarum habentia, ut Abbatia, & Parochia, ſive non habentia, ut prædictus Canonicatus, & Capellania, & cetera beneficia quæ ſimplicia nominantur, abſtrahendo ab his quæ dantur in concurſu (de quibus mox n. 14.) aſſero, inquam, ſatis eſſe ad evitandum mortale, ſi conferantur dignis, & idoneis, eſto prætermittantur digniores, vel digniſſimi. "

V. P. Filliucius *tract. XLI. in Append. c. IV. n.* 181. „ Dico quinto, ſententiam quæ cenſet, ſatis eſſe dignos eligere ad beneficia quæ non dantur in concurſu, eſſe probabilem ex Tridentino *ſeſſ. VII. cap. III. de reform.* dicente: *Conferantur dignis* & univerſali æſtimatione in creatione Beneficiariorum, & Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum &c. qui ſi inter dignos habeantur, laudatur elector, & electio. Non laudaretur autem communiter, ſi mala eſſet, & peccatum mortale. "

VI. Hæc reſcripſi, ut magis exploratam habeas genium quorumdam Probabiliſtarum, qui, ſi luculentiſſima Tridentini verba non dubitant eludere, quid acturi ſint, cum canones non ſunt adeo perſpicui, tibi iudicandum relinquo.

VII. Sed iterum audi Tamburinum *ibi n.* 8. „ Cum immediate antea Concilium videatur eſſe contentum de dignis, vel primo videtur, per hoc *digniores* non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto *comparativo* pro *poſitivo*, vel ſecundo locutione minus propria poſuit *digniores*, ut excludat indignos...... vel tandem tertio loquitur, quando ſit concurſus ".

VIII. Hæc ſunt laxitatis paradoxa quæ lectorum oculis ſubiicere operæ pretium exiſtimamus, ut ex his manifeſtis commentis intelligant inclinationem non paucorum recentiorum ad laxandas leges tum divinas, tum humanas, ſi audent evidentiſſima Tridentini verba cavillari.

IX. Ven. Innocentius XI. hanc P. Tamburini opinionem damnavit in pr. 47. quæ eiuſmodi eſt. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccati communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint, ad Eccleſiam promovent; Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto* comparativo *pro* poſitivo: *vel ſecundo locutione minus propria* digniores, *ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus.*

X. Hanc damnatam theſim totidem verbis docet P. Tamburinus: quem ut aliquo modo excuſet P. Viva in *trut.* in hanc theſim n. 2. advertit, Tamburinum vocare oppoſitam probabiliorem. Papæ! Hoc unum deerat ut ſententiam in Tridentino evidenter traditam nec tamquam probabiliorem recognoſceret.

XI. Miſſis, ne ſim in re perſpicua & evidenti longus, innumeris Patrum, & Conciliorum teſtimoniis, rationum momentis confirmatur communis ſententia. Beneficia inſtituta ſunt in utilitatem Eccleſiæ, & præmia etiam eorum qui vineam Domini ſuis litterarum ſudoribus, morumque ſanctitate excolunt: præmia autem dignioribus debentur, præſertim ut ceteri alliciantur ad laborandum in Eccleſia. Ergo duplici iure obſtricti electores ſunt ad beneficia omnia ſive curata, ſive ſimplicia digniores præferre dignis. Pontifices, Epiſcopi, & ceteri electores non domini, ſed diſpenſatores ſunt bonorum Eccleſiæ. Ergo dignioribus conferre illa debent, non modo quia potiore iure ad hæc bona prædiri ſunt qui maiori ſplendent dignitate; ſed in primis quod maior hæc dignitas utilior eſt Eccleſiæ. In hanc vero Eccleſiæ utilitatem, decorem, & incrementum ſpectare potiſſimum Epiſcopi tenentur. Quæ rationes non modo beneficia curata, ſed etiam ſimplicia dignioribus eſſe conferenda evincunt. Digniores enim promovent Eccleſiæ incrementum, morum integritate, eleemoſynis, aliiſque piis operibus fideles excitant ad virtutum officia. Accedit quod in hoc difficillimo negotio qui hodie digniores nobis apparent, temporis decurſu mi-

minus digni, & non raro indigni evadunt. Si omiſſis dignioribus, beneficia conferantur dignis, brevi tempore Eccleſia indignis redundabit miniſtris; qui ſuis pravis vitiorum exemplis Eccleſiæ ſplendorem obſcurarent, populis ſcandalo eſſent, & apud hæreticos Eccleſiam infamarent. Enormius utique immaniuſque ſcelus eſt ab beneficia curata, prætermiſſis dignioribus, eligere dignos: quia heinc propinquius animarum excidium, & ruina manant. At hoc non tollit quin grave peccatum ſit hunc ordinem pervertere etiam in beneficiorum ſimplicium diſtributione: quoniam & in hoc grave Eccleſiæ infertur detrimentum, & iuſtitia diſtribuens violatur.

XII. P. Carolus Billuart *diſſ.* IX. *art.* 2. cum Leſſio, Caballerio, aliiſque docet, non excedere venialem culpam, ſi in beneficiis ſimplicibus minoris momenti, quando non conferuntur per concurſum, digni præferantur dignioribus. Quæ opinio nullo modo mihi probatur, quia viam aperit laxitati. Facile homines ſibi perſuadent beneficia eſſe minoris momenti. Præterea cur minoris momenti vocant beneficia ſimplicia, puta Canonicatus, Capellanias &c.? Forſitan quia tenues habent reditus! Non credo hoc præbituros reſponſum. Cur ergo? An Canonici non debent chorum frequentare, Capellani Miſſam celebrare, Evangelium legere &c.? Hæc ne officia minoris momenti? Quare ut falſam reiicio præfatam opinionem. Quamvis enim Tridentinum expreſſe non diſtinguat beneficium curatum a ſimplici; tamen abſolute loquitur: & rationum momenta evincunt in omnibus beneficiis digniores eſſe præferendos.

XIII. Quæſt. II. *Si exceſſus dignioris omiſſi ſit levis, peccat ne mortaliter elector?* Reſp. Negant Caſtropalaus, Aragon, Sanchez, Fagundez, Soto, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *n.* 326. Quæ opinio abſolute ſpectata vera apparet, quia quando exceſſus eſt levis, leve ſolum detrimentum infertur Eccleſiæ. Et quando materia levis eſt, culpa mortifera eſſe nequit. Addit Sanchez, veram eſſe hanc opinionem, etiamſi exceſſus in meritis ſit notabilis, quando exceſſus in beneficio ſit exiguus: quia etiam tum exiguum detrimentum infertur digniori; atque ideo ex levitate materiæ leve erit peccatum. Si tamen, inquit, ſit exceſſus in reditibus, & honore, ſub mortali conferre beneficium digniori debet.

XIV. Principio hæc opinio quantum ad hanc poſtremam partem mihi nullo modo probatur: quia quando exceſſus in meritis eligendi notabilis eſt, Eccleſia privatur notabili commodo, quod perciperet ex miniſtro magnopere digniore. Quare licet ob exiguitatem redituum leve dignior ſubiret damnum; tamen Eccleſia ob notabilem meritorum miniſtri exceſſum grave pateretur detrimentum dum illo privaretur. In hac materia in primis ſplendor, utilitas, honor Eccleſiæ ſpectanda ſunt; ſecundario autem maior aut minor redituum opulentia. Deinde præfata opinio etiam quantum ad primam partem periculi plena eſt. Quoniam cum maior dignitas eligendorum confinia præfinita non habeat; & in formanda huius maioris dignitatis perſuaſione ſæpe homines fallantur, & raro digni, nedum digniores, occurrant: idcirco non audeo liberare a periculo gravis culpæ eum qui prætermitteret quem revera iudicat digniorem: quia non verſamur in materia v. g. furti, cuius quantitas certo nobis conſtet; ſed in negotio graviſſimo, & obſcuriſſimo, cuius conſectaria nos latent, & cuius limites præciſi fugiunt notitiam noſtrum. Propterea in negotio adeo momentoſo qualibet a ſecuriori via delinatio gravis periculi plena eſt.

XV. Quæſt. III. *Tenetur ne elector dare ſuffragium digniori, quando cognoſcit ſe nihil profecturum?* Reſp. Si ferendo ſuffragium digno evitare indigni electionem valet, tum poteſt prætermiſſo digniore eligere dignum. Quia utilior Eccleſiæ eſt dignus quam indignus. Electores autem bonum publicum Eccleſiæ cum primis intendere debent. Quando non timetur electio indigni, cui numquam dandum ſuffragium eſt, & prævidetur certa electio digni, omiſſo digniore, in electione alicuius Prælati ſine concurſu, dicunt plures licitum eſſe ferre ſuffragium pro digno, quia valde bono Eccleſiæ conducit ut electio fiat cum pace & concordia; & quod electus nullam lamentationis cauſſam habeat contra eum qui ſuffragium negavit. Quando electio fit per concurſum, tunc ſemper digniori ferendum ſuffragium aiunt.

XVI. Quæſt. IV. *An reſignans beneficium in favorem alterius, debeat digniorem quærere?* Negant Caſtropalaus, Azorius, Leſſius, Sanchez, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 331. ſi tamen reſignatarius ſit æque dignus ac reſignator. Affirmant Soto, Navarrus, Vaſquez *de benef. cap.* II. §. 4. Et hanc ſententiam iudico probabiliorem. Quia reſignator tenetur procurare maius bonum Eccleſiæ. Et quamquam non ſit beneficii collator, eſt tamen illicitæ collationis





cauſſa, ſi, omiſſo digniore, dignum præferat.

XVII. Quæſt. V. *An examinatores obſtringantur Epiſcopo proponere, quis ex candidatis examinatis dignior ſit?* Reſp. Quamvis aliqui negent, probabilior tamen ſententia affirmat. Examinatores enim ideo inſtituti ſunt, ut illorum ope maior aut minor concurrentium ad beneficium habilitas deprehendatur. Nonne conſultores tenentur manifeſtare id quod magis expedit conſulenti? Epiſcopus ſub mortali aſtringitur inveſtigare maiorem concurrentium dignitatem. Porro, ut hunc aſſequatur Epiſcopus finem, examinatorum induſtriam, tamquam medio huic comparando fini opportuno, utitur. Ergo examinatores ſub gravi culpa manifeſtare maiorem concurrentium habilitatem obſtringuntur.

XVIII. Quæſt. VI. *Utrum, & quinam reſtituere debeant iniuſti electores ad beneficia eccleſiaſtica?* Reſp. Reſtituere tenentur ſaltem Eccleſiæ, vel communitati. Damnum enim grave inferunt Eccleſiæ, & Reipublicæ, dum bona communia in præmia meritorum deſtinata, ut alliciantur ſubditi ad laborandum in bonum commune Eccleſiæ, & Reipublicæ, ut ſubeant incommoda in addiſcendis ſcientiis, & artibus, quibus apti efficiantur ad hunc finem comparandum, male diſtribuunt. Læſio itaque Eccleſiæ, & Reipublicæ, dum non pro meritis præmia diſtribuuntur, eſt manifeſta: quæ neceſſario reparationem poſtulat. Quo ad eum vero qui iniuſte prætermittitur, revocanda eſt in memoriam doctrina quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 2. *ad* 4. ubi ſic habet. *Aliquis poteſt impedire aliquem ne habeat præbendam, multipliciter. Uno modo iuſte; puta ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ, procuret quod detur alicui perſonæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo iniuſte; puta ſi intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi: & tunc ſi impedit ne præbenda detur digno, conſulens quod non detur, antequam ſit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbitrium ſapientis; non tamen tenetur ad æquale: quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri: ſi vero iam firmatum ſit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſſam procuret quod revocetur, idem eſt ac ſi iam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem.*



XIX. Quæſt. VII. *Translatio Epiſcoporum eſt ne iure naturali, & divino, an tantum eccleſiaſtico prohibita?* Reſp. P. Suarez *Tom. III. de Relig. Lib. I. cap.* XVI. cum aliis defendit, vetitam eſſe ſolo iure eccleſiaſtico. P. Dominicus Soto *Lib.* X. *quæſt.* II. *art.* 4. *concl.* 1. Dionyſius Carthuſianus *de regim. Epiſcop.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* CLXXXV. *art.* 6. Thomas Hurtadus *tract.* XII. *reſ. mor. cap.* 1. *num.* 604. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXXII. *art.* 2. *dub.* 8. Salmanticenſes *tract.* XXVIII. *cap.* 1. *punct.* 8. *nu.* 374. defendunt hanc translationem eſſe iure naturali, & divino prohibitam. Evincunt auctoritate Innocentii II. in capit. *Inter corporalia* de translatione Epiſcoporum, ubi hæc decernit. *Cum ergo fortius ſit ſpirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſuo tantum iudicio reſervaverit diſſolvendum, qui diſſolutionem etiam carnalis coniugii, quod eſt inter virum & feminam, ſuo tantum iudicio reſervavit, præcipiens ut quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Non enim humana, ſed potius divina poteſtate coniugium ſpirituale diſſolvitur, cum per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate Romani Pontificis (quem conſtat eſſe Vicarium Ieſu Chriſti) Epiſcopus ab Eccleſia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmiſimus, non tam conſtitutione canonica, quam inſtitutione divina ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata.* Coniugium iſtud ſpirituale non in omnibus carnali matrimonio aſſimilatur: cum iſtud nulla valeat auctoritate humana diſſolvi, illud vero & ceſſione; & pontificia diſpenſatione dirimi queat, gravi & manifeſta urgente cauſſa, ſine qua diſpenſatio nulla eſt. Epiſcopi enim ſunt in ſtatu perfectionis. Hic autem ſtatus perpetuitatem pendit. Heinc quando Epiſcopi Eccleſiæ alicui deſponſantur, votum emittunt, quo ovium ſuæ diœceſis curæ devinciuntur. Votum autem abſolute, & natura ſua perpetuum eſt. Ergo Epiſcopi iure naturali curæ ſuæ diœceſis aſtricti ſunt. Quare S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXXXIX. *art.* 7. docet, Parochos, aliosque Beneficiarios, quia non ſunt in ſtatu perfectionis, poſſe ex licentia Epiſcopi beneficia deſerere, ſecus Epiſcopos, inquiens: *Obligari autem voto perpetuo, & ſolemni ad vacandum divinis obſequiis competit proprie Epiſcopis, & Religioſis: Presbyteri autem curati, & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & ſolemni ad curam animarum re-*

*tinendum, ſicut ad hoc obligantur Epiſcopi. Unde Epiſcopi Præſulatum non poſſunt deſerere quacumque occaſione abſque auctoritate Romani Pontificis. Archidiaconi autem, & Preſbyteri curati poſſunt libere abrenuntiare Epiſcopo curam eis commiſſam abſque licentia ſpeciali Papæ, qui ſolus poteſt in votis perpetuis diſpenſare.*

XX. Ex quibus colligitur, hanc Epiſcoporum tranſmutationem fieri minime poſſe, niſi urgentiſſima & evidentiſſima cauſſa occurrente, quæ cedit in commodum & utilitatem non Epiſcopi, ſed Eccleſiæ. Contingere poteſt ut talis Epiſcopus, doctrina, zelo, ſpiritu fortitudinis præditus, ſit neceſſarius ad reformandos mores alterius diœceſis, ad reprimendos hæreticos, ad domandos pervicaces. Quando hæc Eccleſiæ utilitas manifeſta ſit, tunc Pontifex ſummus poteſt diſpenſare ut Epiſcopus ad talem diœceſim immigret. Numquam vero licita & valida eſt diſpenſatio data in commodum perſonale Epiſcopi, qui ſponſam, cui ſemel perpetuo voto devinctus eſt, derelinquere velit, ut aliam ſponſam ditiorem, amœniorem, pulchrioremque ducat. Quid ergo de illis tranſlationibus quæ fiunt, ut diœceſis obtineatur propinquior patriæ, amicis, parentibus, cœli blandioris, patrimonii pinguioris, quæ omnia ſolum Epiſcopi commodum ſpectant? Omnes diſpenſationes pro eiuſmodi tranſlationibus obtentæ ſubreptitiæ, & obreptitiæ ex allata doctrina apparent. Quoniam diſpenſationes in votis perpetuis nullæ ſunt, quoties vera cauſſa deeſt: quia votum perpetuum iure naturali divinoque indiſſolubile eſt, vera cauſſa ſublata. Quæ diſpenſatio latiori ſignificatu talis nuncupatur. Nec eſt quod opponas, quæ naturalis & divini iuris ſunt, non eſſe diſpenſationi etiam pontificiæ obnoxia. Quoniam diſtingui ea debent quæ abſolute iure naturali divinoque vetita, aut præſcripta ſunt, ab illis quæ fundantur in actibus humanis liberis, quibus poſitis, conſurgit ius naturale & divinum. Hæc, non illa, ſubſunt diſpenſationi latius acceptæ, ſeu verius interpretationi. Pontifex enim ſummus, ut Dei vices gerens, interpres eſt legum: & ideo in iure naturali & divino quod pro fundamento præſupponit actus humanos, interpretari valet interdum, non obligare, ut latius Tom. *III.* de votorum diſpenſatione dictum eſt.

XI. Quæſt. X. *Quid ſit confirmatio, & an confirmator debeat electi qualitates explorare?* Reſp. Confirmatio eſt actio quæ plenum ius tribuit electo ſeu præſentato in dignitatem ad quam electus eſt. Siquidem ante confirmationem nullam exercere adminiſtrationem electus valet. Continuo vero poſt confirmationem beneficii poteſt exequi ea quæ iuriſdictionis ſunt, ſecus ea quæ ad Ordinem & conſecrationem pertinent, niſi ſit ordinatus & conſecratus.

XXII. Confirmator autem dubio procul explorare electi qualitates debet, ut perſpicue ſtatuitur cap. *Nihil eſt*, de electione: neque hoc in controverſiam vocatur. Diſputatur ſolum, num ſi dignus, prætermiſſo digniore, electus fuerit, confirmandus a Superiore ſit. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VII. *cap.* VII. *de refor.* hæc ſtatuit: *Præſentati, ſeu electi, vel nominati, a quibuſvis eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ad quævis eccleſiaſtica beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, nec admittantur, etiam prætextu cuiuſvis privilegii, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius ab Ordinariis locorum examinati, & idonei reperti.* Nomine autem *idonei* dignior congrue intelligitur.

XXIII. Quæſt. XI. *Licitum ne eſt ad beneficium eligere conſanguineum?* Reſp. Qui confert beneficium alicui propter conſanguinitatem, peccat mortaliter, ut S. Thomas in *IV. diſt.* XXV. *quæſt.* III. *art.* 3. *ad* 7. docet. *Qui dat ratione conſanguinitatis præbendam alicui principaliter, peccat graviter.* Sub hac voce *principaliter* multæ cubant amoris proprii ſubtilitates. Tum datur principaliter propter conſanguinitatem, quando conſanguinitas plus movet quam perſonæ eligendæ materia. Si vero non carnis & ſanguinis ratio, ſed dignitas perſonæ, quæ aliis concurrentibus præſtat, hoc ſuadeat; tum eligi conſanguineus valet; dummodo ſcandali & murmurationis occaſio abſit, ut perſpicue S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXIII. *art.* 2. *ad* 1. docet. *Quando conſanguinei Prælati eccleſiaſtici ſunt æque digni ut alii, & ſic licite poteſt abſque perſonarum acceptione conſanguineos ſuos præferre; quia ſaltem in hoc præeminent, quod de ipſis magis confidere poteſt, ut unanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractent. Eſſet tamen hoc propter ſcandalum dimittendum, ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent, etiam præter dignitatem bona Eccleſiæ conſanguineis dandi.*

XXIX. Difficile in praxi eſt ne ſecretiſſimæ carnis & ſanguinis illuſiones animum electoris obſcurent, ne multorum murmura, & ſcandala oriantur. Quare niſi conſanguinei dignitas, & merita manifeſta ſint, & extra con-





controverſiam, cavere Epiſcopus, & elector quilibet tenetur a promovendis conſanguineis. Habere Epiſcopi præ oculis debent quod in *tract. de collat. benef. cap.* III. narrat Guillelmus Pariſienſis inquiens: *Pulchre Epiſcopum habentem pyrum onuſtam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo ſuo, quidam deluſit. Cum interrogaret Epiſcopus, cui pyrum illam committeret cuſtodiendam, & reſponſum eſſet a quodam, ut illam memorato Robinulo committeret, Epiſcopus reſpondit: Abſit, quia pyra illa omnia devoraret: dixit Epiſcopo: Domine, qualiter committitis Robinulo tot millia animarum cuſtodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?* Caveant Epiſcopi, & electores omnes ne ſimilem ſibi improperandi occaſionem præbeant.

## CAPUT VII.

*De poteſtate ſummi Pontificis, Epiſcoporum, & Cardinalium beneficia conferendi.*

I. SUmmus Pontifex, utpote univerſæ Eccleſiæ caput, poteſtatem habet omnia cuiuſque qualitatis beneficia conferendi. Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus ex iure communi diſpenſant beneficia. Si tamen Pontifex ſummus præveniat Ordinarium in collatione, valida collatio eſt, utpote a Superiore poteſtatem habente facta.

II. Concilium œcumenicum conferre beneficia valet. Similiter Cardinales, etiam non Epiſcopi, Eccleſiarum, quarum habent titulus, ſive ex iure, ſive ex conſuetudine, beneficia diſpenſant, ſive Canonicatus, ſive Dignitates, ſive curata, ſive ſimplicia. Cardinales Legati a latere conferre queunt beneficia in provincia ſuæ legationis, etiamſi ſint iuriſpatronatus eccleſiaſtici. Canoniſtæ extendunt illorum poteſtatem etiam ad beneficia devoluta ad Sedem Apoſtolicam, & ad ea quæ vacant menſibus Ordinario conceſſis, niſi Ordinarius indultum habeat a ſummo Pontifice.

III. Eccleſiæ Cathedralis Capitulum ſimul & Epiſcopus poteſtatem habent diſpenſandi Cannonicatus, & præbendas. In diverſis tamen Eccleſiis variæ obtinent conſuetudines. Nam alicubi Capitula habent ſimultaneam collationem cum Epiſcopo. In aliquibus beneficia, & dignitates Epiſcopi ſoli conferunt; & Capitulum ſine Epiſcopo præbendas diſtribuit. Quando collatio eſt communis, & Capitulum ac Epiſcopus non conveniunt, ſi Capitulum conferat uni, & Epiſcopus alteri, neutra collatio valet, & ius conferendi devolvitur ad Pontificem, niſi intra ſemeſtre partes concordent. Ad has porro vitandas diſcordias olim frequenter partes convenere, ut proviſiones Canonicatuum, præbendarum, aliorumque beneficiorum fierent per turnum, ſeu per menſes, aut hebdomadas. Et cuiuſque Eccleſiæ conſuetudini adhærendum eſt. Electio Canonici Pœnitentiarii ad Epiſcopum attinet, ut in Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VIII. *de reform.* ſtatutum eſt, niſi aliquod peculiare privilegium adſit. Ad Epiſcopum quoque pertinet electio perſonæ ad interpretandam ſacram Scripturam, & collatio præbendæ ad Capitulum; quamquam pluribus in locis varia obtineat conſuetudo.

IV. Quæſt. I. *An, quando unus ex electoribus eſt impeditus, poſſit alteri vices ſuas committere?* Reſp. Epiſcopus eligere poteſt per ſuum vicarium, ut fatentur omnes iuxta *motum proprium* Leonis X. Vicarius tamen peculiarem, & ſpecialem habere licentiam debet. Hæc quoque facultas communiter conceditur cuilibet Canonico electori. Perſonæ tamen ſubſtitutæ præſtare iuramentum de eligendo digniore debent, ut præfatus Pontifex præſcribit. Si hoc iuramentum omittatur, nullam eſſe electionem, permulti docent. Electio autem iuxta communem ſententiam debet eſſe per ſuffragia ſecreta. Diſputant vero Canoniſtæ, num ſi unus Canonicus oſtendat alteri ſuffragii ſchedulam, electio ſit nulla? Si fraudulenter id ageret ad irritandam electionem abſque illius voto validam, electio valida conſiſteret; quia patrocinari nemini fraus debet. Quando vero manifeſtatio, ſublata fraude, fit ex errore, aut ignorantia, nullam tunc volunt electionem. Alii contendunt nullum tantum eſſe illud ſuffragium, ita ut ſi electus unico tantum ſuffragio alios vincat, nulla ſit eius electio; validam vero electionem, ſi abſque illo ſuffragio conſiſtat. Alii probabilius cenſent oſtenſionem talis ſuffragii non impedire electionem, niſi oſtenſio talis ſuffragii cauſſa ſit ut concludatur electio; quo in caſu caſſari deberet.

V. Quæſt. II. *An Capitulum, ſede vacante, conferre beneficia eccleſiaſtica quæ conferre Epiſcopus ſolet, poſſit?* Reſp. Communis ſententia negat: quia omnia beneficia ſede vacante, ex *reg.* 2. *Cancel.* reſervantur Pontifici ſummo. Poteſt tamen Capitulum ex communi conſuetudine edicta exponere, ad concurſum vocare, & digniorem eligere: collatio tamen beneficii ad Pontificem attinet, qui vel electo a Capitulo, vel cui maluerit, con-

conferre valet. Capitulum quoque poteſt Eccleſiæ parochiali vacanti præficere Vicarium, qui onera Eccleſiæ ſuſtineat, aſſignata eidem congrua fructuum portione; ut habetur ex Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. Poteſt quoque Capitulum excipere reſignationes liberas, quemadmodum Epiſcopi, ſecus cauſſa permutationis: & commendare Eccleſias, donec proviſæ de Rectore fuerint. Plura alia de Capitulo, de Vicario & generali, & foraneo, de beneficiis reſervatis ſummo Pontifici, de regulis Cancellariæ, quas inſtituerunt Ioannes XXII. Nicolaus V. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & alii Pontifices, fuſe diſputant Canoniſtæ. Verum hæc omnia, tamquam ab inſtituto aliena, prætereo.

## C A P U T VIII.

*De forma proviſionis, & de reſignatione Beneficiorum.*

I. EPiſcopus, habita vacantis Eccleſiæ notitia, eidem præficere continuo Vicarium debet cum portione fructuum ſuo arbitrio deſignanda. Poteſt Epiſcopus, aut qui iuſpatronatum habet, intra tempus ab ipſo Epiſcopo præſcribendum, per edictum publicum iubere ut vocentur Clerici ad examen ſuſtinendum pro beneficio vacante conferendo. Poteſt etiam Epiſcopus, vel qui iuſpatronatum habet, nominare idoneos Clericos ad examen. Et hæc forma, quæ primo loco a Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de refor.* ponitur, tutior pro candidatis videtur. Sic enim nemo propria voluntate tanto certamini ſe committeret, ſed ſolum illi examen ſuſtinerent qui eſſent ab Epiſcopo nominati, & vocati: atque adeo liberi forent a periculo deſiderandi regimen animarum, a quo non facile abſunt qui, audita publici edicti voce, ſponte accedunt ad examen habiles, & inhabiles, digni, & indigni. *Porro Epiſcopus* (inquit Concilium) *intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet.* Vocatio per edictum, elapſo decem dierum ſpatio, expirat. Poterit tamen Epiſcopus per alios decem dies, & non ultra eam prorogare. Si in examine nullus repertus fuerit idoneus, Epiſcopus abſque concurſu idoneum Clericum ad examen vocare poteſt, eique beneficium conferre.

II. Diſputant in utramque partem Auctores, num aliquod ſtipendium examinatoribus ſtatuendum pro examinis labore ſit. Affirmant aliqui etiam poſt Tridentinum: quia, inquiunt, Tridentinum vetat ne quidquam offeratur occaſione examinis, ut approbatio obtineatur; ſecus ut labor compenſetur. Sed opinio hæc falſa eſt, & Tridentino adverſa: neque oppoſita conſuetudo, quæ obtruditur, honeſtare tale ſtipendium valet.

III. In collatione beneficiorum ſimplicium non requiritur neque edictum, neque vocatio per concurſum; ſed ſat eſt ut collator eligat quem cognoverit digniorem.

IV. Quæſt. I. *Quid ſit reſignatio, ſeu renunciatio beneficii?* Reſp. Vacare beneficium poteſt vel per obitum Beneficiarii, vel per reſignationem, quæ eſt *voluntaria Beneficii dimiſſio coram Ordinario legitime facta*. Duplex eſt: expreſſa, qua expreſſis verbis ius beneficii deponitur; & tacita, quæ iuris diſpoſitione inducitur per executionem actus contrarii retentioni beneficii, ut per matrimonium, artem militarem, profeſſionem religioſam. Expreſſa alia eſt ſimplex, & pura, dum beneficium deponitur abſolute, nulla conditione adiecta; alia conditionalis, dum fit in favorem talis perſonæ, vel cum reſervatione alicuius penſionis quotannis ſolvendæ.

V. Quæſt. II. *Quibus ex cauſſis admittere Ordinarii ſimplices reſignationes valent?* Reſp. Epiſcopi ſolas reſignationes ſimplices admittere poſſunt, & nullo modo conditionatas, quas ſolus Pontifex acceptare valet. Plures aſſignantur cauſſæ reſignationis in conſtitutione edita a S. Pio V. anno 1568. ſuntque ſequentes. 1. Si Beneficiarius ſit ſenex ſeptuagenarius. 2. ſi ſit valetudinarius. 3. ſi eſt corpore impeditus, paralyticus, apoplecticus, lunaticus, leproſus &c. 4. ſi ſit claudus, mutus, ſurdus. 5. ſi ſit homicida, ſimoniacus, ſodomiticus, concubinarius, blaſphemus. 6. ſi ſit cenſuris eccleſiaſticis irretitus. 7. ſi nequeat, aut non debeat beneficium adminiſtrare, ut dæmoniacus, relegatus, illitteratus, irregularis, aut ſcandaloſus. 8. ſi plura beneficia obtinuerit incompatibilia. 9. ſi aliud beneficium cum primo incompatibile aſſumpſerit. 10. ſi Religionem ingreſſus eſt. 11. ſi matrimonium eſt proxime contracturus. 12. quando ob inimicitias capitales non audet beneficium adminiſtrare. Aliquæ tamen ex his cauſſis inducunt reſignationem non liberam, ſed neceſſariam.

VI. Tres in his renuntiationibus ſervandæ ſunt conditiones, in præfata conſtitutione deſignatæ. 1. Si beneficiarius ſit in ſacris conſtitutus, debet, unde decenter vivat, habere. 2. Ne beneficia reſignata quo-





cumque modo, aut circuitione conferantur conſanguineis, affinibus aut familiaribus dimittentium. 3. Ne ſucceſſores in beneficiis nutu, verbo, ſignove aliquo deſignentur a reſignatoribus, neve promiſſio, aut conventio aliqua intercedat inter reſignantes & collatores vel præſentatores.

VII. Quæſt. III. *Quæ beneficia reſignari valent?* Reſp. Si beneficium ſit curatum, in Curia non admittitur renuntiatio, niſi per tres annos ei reſignator inſervierit. His elapſis, omnia beneficia reſignari poſſunt, & ab Ordinariis reſignationes admitti. Si beneficia ſint iuriſpatronatus, accedere conſenſus patroni debet. Beneficium, quo ob delictum quis privandus eſt, is reſignare ſponte valet. Ordinarius vero qui admittere reſignationem poteſt, eſt tantum ille qui conferendi & adimendi beneficium facultatem habet. Vicarius Epiſcopi abſque ſpeciali mandato nequit reſignationes admittere. Ordinarius nequit acceptare reſignationes cum regreſſu, & ingreſſu. Si reſignator in infirmitate renuntiet, debet ſupervivere 20. dies poſt acceptatam renuntiationem, alioquin beneficium cenſetur vacare per obitum.

VIII. Quæſt. IV. *Poteſt ne Beneficiarius in periculo mortis conſtitutus renuntiare cum ſpe regreſſus, ſi convaleſcat?* Reſp. Regreſſus ad beneficium eſt omnino prohibitus a Tridentino *ſeſſ.* XXV. *c.* VII. *de refor.* & a S. Pio V. in Bulla quæ incipit, *Romani Pontificis.* Tridentinum inquit: *Nemini in poſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium eccleſiaſticum cuiuſcumque qualitatis concedatur.* Reſignans manet in adminiſtratione beneficii, donec reſignatarius poſſeſſionem ceperit.

IX. Quæſt. V. *An reſignationes in favorem alterius ſint licitæ?* Reſp. In ſuperiori *diſſ. de ſimonia* oſtenſum eſt, reſignationes in favorem alterius eſſe ſimoniacas. Iſtarum reſignationum in favorem alterius uſus ſenſim ſine ſenſu invectus eſt circa finem ſæculi XV. contra omnes antiquos canones; ut habetur in can. *Petiiſti* VII. quæſt. 1. ubi Zacharias Papa ad Bonifacium Moguntinum inquit: *De eo autem quod tibi ſucceſſorem conſtituere dixiſti, ut te vivente, in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta Patrum eſſe monſtratur.* Quis complecti digna oratione poteſt abſurda, & graviſſima detrimenta quæ ex hac hereditaria ſucceſſione Eccleſia patitur? Diſpenſationes, quibus honeſtari eiuſmodi ſucceſſiones conſueſcunt, frequenter obreptitiæ & ſubreptitiæ ſunt. Nulli melius quam reſignatores dignoſcere valent, ſucceſſores non eſſe Eccleſiæ utiliores. Pontifices ſummi tolerant ſæpe eiuſmodi reſignationes; & diſpenſationes impertiuntur ex ſuppoſitione, quod vera ſint expoſita. Ceterum eiuſmodi reſignationes, cum non cedant in maiorem & Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, coram Deo licitæ nullo modo ſunt, quamvis diſpenſationum velo ornatæ.

X. Quæſt. VI. *Quando licita eſt beneficiorum permutatio?* Reſp. Permutatio beneficii eſt *mutua, & reciproca beneficiorum reſignatio, quæ ad invicem inter permutantes fit.* Permutatio affinis eſt reſignationi in favorem alterius, & ſolum differt, quod in permutatione reſignatio eſt mutua. Si quis ſolum habens ius ad rem, permutaret cum alio habente idem ius, aut in re, ſimoniaca eſſet permutatio, ut dictum alias eſt. Sola maior Eccleſiæ utilitas licitam efficere permutationem valet. Plures addüci aliæ cauſſæ ſolent, ut loci intemperies, unde Beneficiario graves obveniunt infirmitates, inimicitiæ graves, damna ſpiritualia, vel temporalia gravia, ratione beneficii imminentia. Unam ex his cauſſis ſufficere ad honeſtandam permutationem, docent Salmanticenſes *tr.* XIX. *art.* 3. *punct.* 2. *n.* 77. Verum hæc regula generalis difiniri nequit. Semper enim ad licitam permutationem maior requiritur Eccleſiæ utilitas, quæ ex pluribus circumſtantiis reſultat. Accedere inſuper debet auctoritas legitimi Superioris, nempe aut Papæ, aut Ordinarii, qui ius habet conferendi, inſtituendi, & amovendi Beneficiarium a tali beneficio. Debet inſuper permutatio eſſe libera, & abſque ulla penſione, in qua ſolus Pontifex diſpenſare poteſt.

XI. Quæſt. VII. *An beneficium amittatur per matrimonii contractum, quod poſtea ſit nullum?* Reſp. Beneficium amitti per matrimonium legitime contractum, etiam non conſummatum, docent omnes. Diſputant vero in partes plures de matrimonio nullo. Alii dicunt ipſo facto Clericum contrahentem matrimonium, etiamſi nullum ſit, beneficium amittere. Alii docent, beneficium in hoc caſu vacare, ſi contrahens non eſt conſcius nullitatis; ſecus, ſi nullitatis conſcius ſit. Alii e contrario contendunt, Beneficiarum contrahentem matrimonium cum conſanguinea, aut affini in gradu prohibito bona fide, & cum debita ſolemnitate non amittere beneficium, nec per ſententiam iudi-

eis poſſe privari; ſi vero malâ fide contrahat, ipſo facto amittere beneficium. Tandem alii defendunt, numquam beneficium amitti per matrimonium nullum ante iudicis ſententiam. Diſputatio hæc tanti non eſt, ut mea longiore diſcuſſione egeat. Mihi probabilius eſt, quemlibet Beneficiatum ipſo facto quod matrimonium contrahat, amittere beneficium. Nam ſi revera intendit contrahere matrimonium, reipſa beneficium reſpuit. Si ficte contrahit, eo ipſo meretur privari. Quare, miſſis argutationibus, qui matrimonium contrahit ſive validum, ſive ex aliquo impedimento nullum, ſive ſcienter, ſive ignoranter, ſive bona, ſive mala fide, beneficio privandus eſt.

## CAPUT IX.

*De pluralitate beneficiorum, & penſionum.*

I. NEmo, ut mea præfert opinio, luculenter propoſitam controverſiam tractavit Doctore Angelico. Antequam tamen illius doctrinam in medium proferam, lubet Tridentini ſanctiones reſcribere. Hæc autem *ſeſſ.* xxiv. *c.* xvii. *de refor.* Concilium præſcribit. *Illi vero qui in præſenti plures parochiales Eccleſias, aut unam cathedralem, obtinent, cogantur omnino, quibuſcumque diſpenſationibus, ac unionibus ad vitam non obſtantibus, una tantum parochiali, vel ſola cathedrali retenta, alias parochiales intra ſpatium ſex menſium dimittere: alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia quæ obtinent, ipſo iure vacare cenſeantur; nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus retineant.* Concilium ſex menſes conceſſit ad reſignanda beneficia incompatibilia, ante Concilii celebrationem obtenta. In præſens qui obtinent beneficium incompatibile, intra duos menſes renuntiare tenentur pure & ſimpliciter priori in manibus Pontificis; quo tempore elapſo, ſine tali renuntiatione omnia beneficia vacarent. Qui vero ab Epiſcopo beneficium incompatibile cum alio aſſequuntur, ſtatim, antequam ſecundi poſſeſſionem capiant, renuntiare priori debent: alioquin utrumque vacaret ipſo iure.

II. Inſuper Tridentinum *cit. ſeſſ.* xxiv. *c.* xvi. hæc alia initio præmittit. *Cum eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſancte ſacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipientes, ea quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: ſancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit ut in poſterum unum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia .... pertineant, &c.*

III. Nemo itaque etiamſi Cardinalis dignitate fulgeat, habere plura beneficia poteſt, ne quidem ſimplicia, ſi unum congruæ ſuſtentationi ſufficiat. Si autem curata ſint, etiamſi unum non ſufficiat, non propterea poſſidere plura licet. Hæc clara & luculenta ſunt.

IV. Quæſt. I. *Utrum pluralitas beneficiorum iure naturali, nedum canonico, ſit prohibita?* Reſp. Actionum humanarum aliæ ſunt iure naturali ita abſolute vetitæ, ut in nulla circumſtantia liceant, ut mendacium, adulterium, periurium &c. Aliæ ſunt quidem iure naturali vetitæ, ſed non in omni circumſtantia; ut homicidium, quod auctoritate publica factum licitum eſt. Tactus mamillarum, pudendorum abſolute vetiti ſunt; curandæ tamen infirmitatis cauſſa licent; quidquid fabulentur rabulæ nonnulli. In hoc ſecundo actionum genere collocat S. Thomas actionem habendi plures præbendas. Sic quippe *quodlib.* ix. *art.* 5. ſcribit: *Sunt vero quædam actiones quæ abſolute conſideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important; quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bonæ efficiuntur, ſicut occidere hominem, vel percutere, in ſe deformitatem quamdam importat; ſed ſi addatur occidere malefactorem propter iuſtitiam, vel percutere delinquentem cauſſa diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum. In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur: ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis eius obſequio, vel poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantundem abſens quam alius præſens, & ſi quæ alia ſunt huiuſmodi. Et tunc iſtis condi-*





*tionibus ſupervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum ius naturale: quia diſpenſatio ad ius naturale non pertinet, ſed ſolum ad poſitivum.*

V. Paucis perſtringitur hæc S. Thomæ doctrina. Pluralitas beneficiorum, ſecundum ſe accepta, iure naturali vetita eſt; veſtita autem circumſtantiis utilitatis, & neceſſitatis Eccleſiæ, licita evadit. Hanc pluralitatem iura antiqua prohibuerunt. Si hæc iura antiqua eſſent per conſuetudinem contrariam abrogata, etiam ſine diſpenſatione, poſitis præfatis circumſtantiis, licitum eſſet habere plures præbendas. Sublatis vero his circumſtantiis, nulla honeſtari diſpenſatione valet pluralitas præbendarum. Cur? Quia ſublatis dictis circumſtantiis, pluralitas præbendarum iure naturali vetita eſt. Nulla autem diſpenſatio liberare a iuris naturalis vinculo poteſt. Sic concludit S. Thomas in fine citati articuli. *Si autem antiqua iura ſint per conſuetudinem abrogata, cum prædictis circumſtantiis ſupervenientibus, etiam ſine diſpenſatione licitum eſt plures præbendas habere ſine quibus circumſtantiis licitum non eſt, quantumcumque diſpenſatio interveniat: eo quod diſpenſatio humana non aufert ligamen iuris naturalis, ſed ſolum ligamen iuris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt.*

VI. Pluralitas igitur præbendarum iuri naturali abſolute adverſatur. Præbendæ enim inſtitutæ ſunt, tamquam miniſtrorum ſtipendia, ut Eccleſiæ pluribus abundent miniſtris, qui Dei cultum promoveant, qui populi ſalutem curent. Dum unus pluribus fruitur præbendis, Eccleſia numero, & obſequio miniſtrorum deſtituitur. Neque enim unus abſolute & communiter pluribus deſervire Eccleſiis valet. Diminuitur ergo divinus cultus, dum unus loco plurium inſtituitur. Unus enim habens plures præbendas nequit offerre tot ſacrificia, tot horas canonicas recitare, tot ſacramenta miniſtrare, ac miniſtrant, & recitant plures miniſtri: nequit ea gregi ſubſidia ſpiritualia porrigere quæ plures præberent. Fundatorum voluntates defraudantur, qui præbendas inſtituerunt, non ut hunc illumve miniſtrum ditarent ſaginarentque; ſed ut Dei cultum promoverent, ut populi chriſtiani moribus formandis Paſtores adeſſent. Pluralitas autem beneficiorum ordines iſtos omnes pervertit: unum reddit opulentum, dum alius eſurit; fovet ambitionem & faſtum; ſuccendit avaritiam, cupiditatem, luxum, crapulam, & luxuriam; extremamque Eccleſiæ cladem inducit.

VII. Si autem tales occurrerent circumſtantiæ in quibus idonei miniſtri deficerent, & unus ſcientia, dexteritate, morumque ſanctitate ita eminueret, ut plus abſens quam alius præſens promovere Dei cultum, & Eccleſiæ utilitatem poſſet; quod rariſſime in tanta ætatis noſtræ miniſtrorum abundantia evenit; tunc coram Deo licitum eſſet habere plures præbendas: quia in his circumſtantiis hæc pluralitas non contraria, ſed quam maxime conſentanea eſſet naturæ iuri. Nemo tamen privatus iudex eſſe harum circumſtantiarum poteſt; ſed ſolus Pontifex ſummus, tamquam univerſalis Eccleſiæ Proviſor, & Dei Vicarius, interpretari iure valet has hic & nunc circumſtantias locum habere. Pontifex ergo ſummus, dum alicui plures habere præbendas concedit, non diſpenſat a naturalis iuris vinculo; ſed declarat ius ipſum naturale his in circumſtantiis non obligare: diſpenſat vero in iure poſitivo, omnino hanc pluralitatem vetante.

VIII. Obiicies. Conſuetudo obtinet penes vel ipſos Eccleſiaſticos bene moratos & doctos habendi plura beneficia. Reſpondeo, hanc ſolam pluralitatem beneficiorum, ſi deſint recenſitæ circumſtantiæ, gravi argumento eſſe, poſſeſſorem plurium beneficiorum vera eſſe pietate, & morum integritate deſtitutum. Nulla contra ius naturale prævalere conſuetudo poteſt. Conſuetudo quæ obtruditur, manifeſta corruptela eſt.

IX. Opponunt, Concilium Tridentinum non eſſe ubique receptum, præſertim quantum ad diſciplinam. Reſpondeo, ius naturale declaratum a Tridentino ubique gentium prævalere. Gennetus *Tom. II. tr.* 1. c. vi. ſolemnem Gallorum Tridentini acceptationem reſcribit.

X. Quæſt. II. *Qui pontificia diſpenſatione plura poſſidet beneficia, frui ne iiſdem tuta conſcientia valet?* Reſponſio patet ex dictis. Si adſit Eccleſiæ maior utilitas, maior cultus Dei, maior animarum ſalus, accedente declaratione, ſeu diſpenſatione pontificia, ſecurus in conſcientia eſt Beneficiarius, dummodo omnia quæ ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluunt, pauperibus utriuſque Eccleſiæ diſpenſet; dummodo nihil in ditandis nepotibus, & conſanguineis, nihil in crapula, in conviviis, in luxu, & faſtu fovendis, & avaritia, atque ambitione alenda impendat; dummodo labor, ſtudium, curæ, vigiliæ illius prævaleant plurium miniſtrorum curis,

& laboribus. Quoniam vero perraro hæc occurrunt, immo rariſſime, & vitia quæ recenſui, abuſus redituum, & neglectus divini cultus, & animarum ruinæ frequentiſſime ob oculos ſe ingerunt: idcirco raro, immo rariſſime poſſeſſores plurium pinguium beneficiorum ſecuri in conſcientia ſunt; ſed in graviſſimo æternæ perditionis periculo verſantur, nulla conſuetudine, nulla diſpenſatione ſuffragante.

XI. Obiicies, Epiſcopi habentes plura beneficia, & opulentos reditus, potentes ſiunt ad reprimendos hæreticos, & in ordinem redigendos, ad propugnanda Eccleſiæ catholicæ iura. Milites alunt, & maieſtatem præferunt, quæ terrorem incutit. Reſpondeo, Apoſtolos, omneſque Ieſu Chriſti ſervos, non armorum ſtrepitu, non militum catervis, non faſtu pompatico, ſed paupertate, modeſtia, humilitate, ieiuniis, ſobrietate, precibus hæreticorum, & paganorum pervicaciam domaſſe, & animas lucratos fuiſſe. Quæ opponuntur, commenta ſunt ambitionis, pravæque cupiditatis verſuta præſtigia. Aut cælo ergo, aut pluralitati, quando unum ſufficit beneficium, renuntient neceſſum eſt. Obvia & trita ſunt S. Bernardi *Lib. III. ad Eugen. cap.* IV. verba: *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Luculenta hæc ſunt, & extra controverſiam poſita. Excuſant ne propterea diſſipationes velo diſpenſationis tectæ?

XII. Quæſt. III. *Utrum Clericus poſſit duo beneficia compatibilia, quorum quodlibet ſufficiat ſuſtentationi, obtinere?* Reſp. Beneficia incompatibilia ea dicuntur quæ vel reſidentiam diverſam poſtulant, vel quæ in eadem Eccleſiam idem miniſterium, & officium habent: hæc enim mutuo ſe excludunt, [illegible], uno obtento, aliud vacat; ut colligitur ex cap. *Litteras* de conceſſ. præbend. Sermo ergo eſt de beneficiis ſimplicibus, quorum unum ſufficiat ad congruam ſuſtentationem. Alii affirmant, alii negant. Sed vera ſententia docet, nullo modo quemquam poſſe duo beneficia retinere: quorum unum ſufficiat ad congruam ſuſtentationem, ſed uno obtento, aliud continuo vacare; ut ſtatuit Tridentinum *ſeſſ.* VII. *cap.* IV. & *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVII.

XIII. Diſputant vero Theologi, & Canoniſtæ, quodnam ſit beneficium illud quod congruæ honeſtæque ſuſtentationi ſufficiat. Salmanticenſes *tr.* XXVIII. *cap.* I. *punct.* 16. §. 5. *n.* 670. varia Auctorum placita referunt. Alii dicunt, illud beneficium congruæ ſuſtentationi ſufficere quo Beneficiarius poteſt alere ſeipſum, parentes, ſorores, nepotes, filios ſpurios, hoſpites, peregrinos ſuſcipere, & epiſcopalia, aut parochialia onera ſuſtinere. Addunt habendam eſſe rationem nobilitatis, ſcientiæ, & dignitatis. Si hæc omnia vera forent, rarum eſſet beneficium tot abundans reditibus qui dictis oneribus explendis ſufficeret. Filliucius *tr.* XLI. *c.* VII. apud ipſos Salmanticenſes, cum Azorio, & aliis docet, ſat eſſe beneficium reddere fructus ſufficientes, ſi Beneficiarius ſit infimæ ſortis, ad ſuſtentandum ipſum Beneficiarium, coquum, unum famulum, unum equum, & ad conducendam domum habitationi neceſſariam. Si Beneficiarius ſit Licentiatus, vel Doctor, tunc beneficium debet reddere fructus qui ſatis ſint ad alendos duos famulos, coquum, & equum. Si Beneficiarius ſit nobilis, tum poteſt habere tres aut quatuor famulos, duos equos, currum, coquum, & conductorem domeſticum. Si ſit Epiſcopus, poterit ex reditibus Eccleſiæ, demptis ſibi ad victum neceſſariis, duodecim, aut quatuordecim famulos ſuſtentare. Si ſit Cardinalis, ei concedit ſingulis menſibus mille aureos; quorum centum impendat in menſa, centum in famulis minoribus, trecentos in maioribus, centum in ſupellectili, centum in veſtitu pro ſe, & camerariis, centum in veſtiendis palafrenariis, centum in ſtabuli impenſis, & centum pro elargiendis eleemoſynis. Si Cardinales ſint Principes, aut nepotes Pontificum, tum eis impertitur pro congrua ſuſtentatione propria, & familiarium mille aureos in hebdomadas ſingulas. Si ſint infra Principes, & ſupra Cardinales alios, ratione nobilitatis, aut antiquitatis, vel gradus, v. g. Vicecancellarii, Camerarii, Vicarii Pontificis, iſtis permittit quingentos aureos in ſingulas hebdomadas. Hæc tradunt huiuſmodi Doctores, inquiunt Salmanticenſes.

XIV. Verum ſancti Eccleſiæ Doctores clamant, hæc eſſe non paupertatis apoſtolicæ, & eccleſiaſticæ modeſtiæ, ſed luxus, pompæ, & faſtus nimii argumenta. Arbitraria commenta hæc ſunt: nec aſſignari præciſa regula poteſt. Beneficiarii omnes altius animo inſculptum habere debent, reditus eccleſiaſticos ſacras eſſe piorum fidelium oblationes Chriſto conſecratas, pauperum patrimonia. Recogitare ſerio debent, ſe eſſe chriſtianæ militiæ duces, & imperatores ſub Chriſto paupere pro domo Dei belligerantes. A Chriſto, ab Apoſtolis, & ſanctiſſimis Epiſcopis, & Cardinalibus, quorum vita & mores in Eccleſia refulgent, normam domeſtici regiminis, & ſobrietatis repetere debent. Mutata utique eſt exterior vivendi diſciplina; ſed talis eſſe ſemper debet, quæ non pugnet cum Eccleſiæ ſpiritu, qui ſemper idem fuit, & eſſe debet, ut cælum obtineatur. Sint Beneficiarii Licentiati, Baccalaurei, Doctores: ſint nobiliſſimi, ſint Principes, Epiſcopi & Cardinales. At, mundi nobilitate, & principatu contemptis, Chriſto pauperi ſeſe conſecrarunt, Chriſti milites, immo Chriſtianæ militiæ præfecti, centuriones, prætores, & duces ſunt, qui præire Chriſtianis, eiſque, & ſemetipſos Chriſto ſupremo Imperatori conformes efficere pro humana imbecillitate debent. Si hæc ſecum ſerio reputaverint, ſcient profecto ita temperare propriæ ſuſtentationis, & domeſticæ œconomiæ confinia, ut pro infelici temporum, & ætatis conditione & dignitatem gradus, & apoſtolicæ vitæ formam componere una valeant. Recenſitæ a nonnullis Caſuiſtæ regulæ ad mundanæ potius ambitionis & faſtus, quam ad evangelicæ moderationis amuſſim exaratæ videntur. Definiri, & præſcribi norma præciſa nequit; ſed quiſque ex indicatis principiis ſibi præſtituere eam expenſarum formam poterit quæ dignitatem ſacram & apoſtolicam deceat, & pauperum, viduarum, ac orphanorum egeſtati levandæ non officiat.

XV. Quæſt. IV. *Quid de penſionibus non imponendis beneficiis parochialibus dicendum?* Reſp. Supra *c.* II. de penſionibus ſermo fuit. Pauca hic addenda ſunt. Penſionum origo vetuſta. Iſtarum veſtigium habetur in Concilio Chalcedonenſi, in quo conceſſæ fuerunt penſiones Baſiano & Stephano, de Epheſino Epiſcopatu contendentibus. Penſionum uſum probavit quoque S. Gregorius Magnus, qui Agathoni Epiſcopo Liberitano depoſito alimenta ex reditibus Eccleſiæ ſubminiſtrari ſtatuit; ut colligitur ex *Lib. II. epiſt.* III. Illis Clericis dumtaxat primum conceſſæ penſiones fuere qui poſt egregiam Eccleſiæ præſtitam operam, extrema premebantur inopia, & ſua beneficia propter aut ſenectutem, aut infirmitatem deſerere cogebantur. Hæc eſt origo, hæ iuſtiſſimæ concedendæ penſionis cauſſæ. Abuſus poſtea, quemadmodum contingere ſolet, invaluit ut Clerici etiam illi obtineant penſiones qui nullum ſervitium Eccleſiæ præſtant. Quæ ſane collationes, & fundatorum, & Pontificum ipſorum intentioni contrariæ ſunt. Pontifices enim, ut alias ſæpe dictum eſt, diſpenſatores, non domini ſunt Eccleſiæ redituum. Quoties ergo Clerici qui non Eccleſiæ, ſed mundo, ſed Magnatibus inſerviunt, in eorum aulis otio diffluunt, aut in terrenis procurationibus occupantur, illorum favore, & patrocinio penſiones ementitis titulis aſſequuntur; ſubreptitiæ, & obreptitiæ ſunt diſpenſationes illæ, & iniuſtæ pauperum, viduarum, & Beneficiariorum patrimonia devorant Clerici eiuſmodi. Pontificiæ diſpenſationes, quia ſubreptitiæ, nihil prorſus iiſdem ſuffragantur, ut Patres omnes, & præſertim Bernardus clamat.

XVI. Ad propoſitum quæſitum directe reſpondeo. Innocentii XII. iuſſu anno 1692. vetitum ne parochialia beneficia penſionibus graventur, ut Parochi ſubvenire pauperum, & Eccleſiæ neceſſitatibus valeant: quod decretum a Dataria emanatum refert Gennetus *tract.* I. *de benef. cap.* XII. *quæſt.* V. Plura alia tum de penſionum abuſu, tum de beneficiis dicenda forent. Verum, ſi controverſiæ quæ de regulis Cancellariæ, de beneficiorum extinctione, diviſione, unione agitari ſolent, diſcutere vellem, integrum volumen non ſufficeret. Ceterum pauca quæ perſtrinxi, ſatis ſunt pro communi conſcientiarum regimine.

# LIBER SECUNDUS

## *DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.*

## DISSERTATIO PRIMA.

### PRÆLOQUIUM.

HActenus de evangelicæ legis ſacramentis quæ nos ad ſpiritualem, æternamque vitam regenerant, aut regenitos alunt, nutriunt, roborantque. In præſentiarum autem de eo ſacramento inſtituendus nobis ſermo eſt quo ſanctificantur Chriſtiani qui ad propa-